DELECTUS
OPUSCULORUM
MEDICORUM

ANTEHAC IN

GERMANIAE DIVERSIS ACADEMIIS

EDITORUM.

QUAE

In Auditorum commodum collegit, & cum notis hinc inde aucta recudi curavit

IOANNES PETRUS FRANK M. D.

S. C. & R. M. a Consiliis Gubern. Mediolanens. Facult. Med. per Insubriam Austriacam Praeses, Med. Clinicae Profess. P. & O. Academiae Reg. Scient. Goetting., Mantuanae, & Electoral. Moguntinae, tum Societ. Patriot. Mediolan. Sodalis.

VOL. VIII.

TICINI.

IN TYPOGRAPHEO PETRI GALEATII PRAESID. REI LITTER. PERMITT.

ANNO MDCCXC.

LECTORIBUS.

Pauca praefari, iubet aliqua, hoc in Opere, suscepta mutatio. Excluseram nempe, cum primum illius Volumen prodiret, quaecunque in aliis collectionibus huius naturae ab Auctoribus diversis fuissent comprehensa; hoc vero in Volumine continentur quaedam egregii quondam BRENDELII *Dissertationes, quae tamen editioni, qua Ill.* WRISBERGIUS *illius Viri Opuscula collegerat, insertae fuerunt. Quodsi tamen consideretur, tum istam, tum alias eiusmodi collectiones, in* Italia *raras, &, licet utilissimas, a paucis tamen possideri; veniam, ut spero, facile impetrabo, si quosdam hinc inde, eosque potiores, tractatulos, aliorum Delectu excerptos, proprio committam. Sed & in hoc non inutilem mutationem*

facturus mihi videor, *ut*, *cum pridem non nisi* Germaniae *fructus academicos Lectoribus proposuerim; nunc aliarum etiam Nationum exterarum Opuscula*, Italiae, *si quid utilitatis exhinc resultare posse mihi persuaserim*, *inferre suscipiam*. *Caeterum*, *cum*, *ob otii literarii penuriam*, *raro mihi liceat*, *quod in prioribus* Delectus *Voluminibus copiosius praestiteram*, *notulas aliorum laboribus adiicere; in eo saltem*, *ut proprias Dissertatiunculas academicas cuivis libro aliquas superaddam*, *pergere decrevi*.

Dabam Ticini Regii, *die* 1.° *Februarii* 1790.

ELENCHUS.

IOAN. GOTTOFR. BRENDELII
PROFESS. QUONDAM MEDICI IN ACAD. GEORGIA AUGUSTA CELEBERRIMI

DISSERTATIO
DE
SERIORI USU EVACUANTIUM IN QUIBUSDAM ACUTIS

RESPOND.
FRIDERICO AUGUSTO SCHULTZE
LUNEBURGENSI
GOTTINGAE
Die 14. Septemb. 1754.

§. I.

SEriorem evacuantium febribus in acutis nonnullis usum dicimus, quem non saltem circumscribunt inde ab initio primi dies, sed sequiores etiam permittunt, imo saepe requirunt, ad confinia incrementi & vigoris morbi usque, quin interdum & postea. Scilicet tritissimum quidem

illud ex HIPPOCRATICIS (a) eſt: *movendum eſſe initio, ſiquid movendum eſt, inque ſtatu, ſive vigore morbi, quieſcere*, conſultius. Docet tamen experientia, neque hic perpetui quid eſſe, neque evacuantium uſum ſic adſtringi morborum initiis, quin ſequentibus diebus, pluribus etiam ex ordine, locum habeat. Initia febrium acutarum rectiſſime algoribus quibuſdam, qualeſcunque illi ſint, rigores an horrores, aeſtimabimus; ne praeſertim in malignis, obrepens ex inſidiis morbus fallat. Evacuantium nomine inprimis vomitoria & alvum ducentia cupimus intellecta, atque haec quidem ex illa claſſe, quae acutis febribus convenit: de ſanguinis tamen miſſionibus ſerioribus nonnulla ſtrictim adiiciemus.

§. II.

Eſt autem hic evacuantium uſus non temere de quibuslibet acutis accipiendus; ſed de nonnullis ſaltem, de quibus ſigillatim agemus, quaſve indicationem ſpecialem, id eſt ex ipſius ingenio morbi petitam, adeoque ſingulari illa magis perpetuam magiſque communem, recipere patebit.

(a) Aph. II. 29.

§. III.

Atque hic duo illa ſumma capita criſium perfectarum & imperfectarum ante ſunt attingenda. Perfectae criſes ſunt, quae per ſudores & urinas cum aequabili declinatione morbi fiunt, quibuſve interdum & haemorrhagiae, eaeque ſeriores, neque ante vigorem febris, ſeſe addunt, aut cum initiis, aut cum finibus exacerbationum, per declinationem paulatim evaneſcentium. Nam haemorrhagiae ante vigorem, etſi itidem optimae ſint, & levandis praeſentibus ſymptomatibus inprimis commodae: id tamen habent indolis plane propriae, coniecturis potius, morborumque comparatione illuſtrandae, quam demonſtratione penitius exponendae, ut criſin per ſudores vix admittant, ſed alias, inprimiſque alvinas, inter varias quidem metaſtaſes. Quod quidem teſte non uno loco HIPPOCRATE (*a*), id eſt, vindice experientia, adeo certum & exploratum eſt, ut ſi quas in acutas, ſub initiis incrementiſque haemorrhagiae inciderint, praeſertim liberaliores, undecunque tandem contigerint, pronunciare omnino liceat, a criſi per ſudorem expectandum

(*a*) Coacar. I. 227. Lind. III. 433. 458. & pluribus aliis locis.

nihil esse ; sed alio modo naturam suas in vindicias ituram.

§. IV.

Crises imperfectae non uno modo absolvuntur. Aut enim febris abit in aliam quandam, sive acutam iterum, & saepe succedentium sibi mutuo acutarum, aliarum quidem ex aliis, quasi quoddam syrma: quo quidem casu algor qualiscunque harum initia febrium sibi succedentium describit: aut in intermittentes, quod non raro post pleuritides, & post malignas & exanthematicas nonnullas observari solet; ut tamen & in hoc transitu, & in ipsius intermittentis specie, quaedam a tempore anni, & tempestate, tum caussae, tum discrimina sint. Aut lentae febres succedunt variae, inprimisque phthises: non saltem post acutas graviores, ut pleuritides, febres exanthematicas, & malignas, sed etiam post leviores & catarrhalium simulacro fallentes; suntque hae lentae febres nil nisi diuturna ad suppurationes molimina. Consequuntur etiam abscessus stricte dicti: HIPPOCRATI enim omnes metastases, sive eiiciat aliquid natura, sive minus, abscessuum nomine veniunt. Atque hi abscessus non uno modo suboriuntur, alias quidem protinus a vigore febris, alias longo saepe intervallo, ut ne

ad antegressam quidem inde ab illo tempore febrem, origo abscessus, carbunculi, putrisve cuiusdam ulceris videatur referenda: idque potissimum post malignas & exanthematicas febres obtingere solet. Aut alvi fluxus varii succedunt, vomitusque sub declinatione morbi per complures dies, plerumque statis quasi temporibus, fereque circa finem decrescentium exacerbationum: quales quidem sunt, quos HIPPOCRATES appellat (*a*) *vomitus non pravos circa crisin*. Observantur itidem metastases aliae, affectiones faucium, gingivarum, dentium, cutaneae, scorbuticarum nomine: defluxiones variae ad varias corporis partes, catarrhi genitalium in utroque sexu, excretiones denique aliae, ex affectuum caussarumque haemorrhoidalium ambitu, quin ad ipsa interdum ossa reliquiae morbi decumbunt. Neque infrequenter subrepunt obstructiones viscerum, hepatis lienisque potissimum, metastasesque consimiles ad cellulosa viscerum & membrorum, ad glandulas, ad laxioris fabricae viscera, ut pulmones, uterum, ovaria: ex quibus olim longae difficilesque valetudines, clandestinis ortae natalibus, erumpunt. Contingunt etiam metastases ad articulos, *nisi*, ut verissime ait HIPPOCRATES (*b*) *ad lie-*

(*a*) Coacar. I. 219.
(*b*) Epid. II. 3., 73. Epid. VI. v. 32.

nem decubuerint, *sanguinisve e naribus liberales fluxiones accesserint*, *aut urinae diu fluxerint coctae*. Eaedemque metastases aut arthriticae stricto sensu esse solent, aut aliae minus frequentes, quas divinus SENEX (*a*) *circa articulos non podagrico modo* oboriri ait; rheumaticas vulgo dicunt. Constituit illas, fungorum iuxta articulos specie, colluvies quaedam albuminis ovi similis, vel cadaverum testimonio: spissior ipso tempore reddenda, qualisque in gangliis est, quae hanc ipsam non raro, quin etiam cystici tumores varii, & scirrhi cancrique occulti, originem habere solent. Obiter attingimus singulare genus metastasium, quas haud fortassis abs re appellabis nervosas, & docente rerum usu, in spasticas, in paralyticas, & ex utrisque compositas divides. Atque hae, ut frequentius afficiunt partem illam virium animalium in systemate nervorum, quam strictiore sensu dicimus motricem: sic interdum istam, quae facultatum animae ministra est. Exempla praebent ex altero quidem genere, tot vitia sensuum ad paralyses spasmosque referenda; tot spasmodicae & paralyticae affectiones exteriorum membrorum: ex altero, tot vitia memoriae aliarumque animae facultatum, quae in

(*a*) Prorrhet. II. 47.

cerebro labefactatum quid esse testantur. Utraque sunt malignarum inprimis febrium & exanthematicarum non rarissimae, his de caussis, reliquiae. Sive autem, ut ex his apparet, crises imperfectae absolvantur excretione materiae cuiusdam utcunque coctae, sive nervos adficiant, quo nomine vix aliquis materiae ad nervorum origines decubitus, sed si studiosius attendamus, manifestus aliquis ex imo ventre consensus, accusandus est, qualecunque tandem sit, quod ibi lacessat: memorabile illud omnino est, quod ista omnia tandem in abscessus suppuratorios conspirent, hisque aut sponte subortis, aut arte excitatis maximum firmissimumque levamen natura percipiat, etsi & aliae interea excretiones incidere possint. Quae si accuratius contemplemur mutuoque comparemus phaenomena, prona via erit ad coniecturam, veri multo simillimam, crisium imperfectiorum perfectissimam quasi esse abscessum purulentum, reliquasque gradibus suis imperfectiores, ad hunc tanquam ultimum quendam limitem suae speciei, omnes contendere.

§. V.

Neque plane dubium videbitur experientia duce ratiocinanti, exanthemata febrilia esse aut verissimas species crisium imperfectiorum, quae

coniectura ad purpuras, ad febrem miliarem, scarlatinam, morbillos, variolas, & febrem urticatam inprimis pertinet: aut extravasationes tum ichoris cruenti, tum humoris corrupti, forsan ex putri colluvie vitiatae bilis & intestinorum saburrae tralatitii, quod de petechiis, maculisque & vibicibus, credibile est. Idque ex iis, quae deinde afferemus, elucescet.

§. VI.

Crisium perfectiorum, siquid rerum usus docet, ardentiores ad contactum febres, & potissimum ex rigoribus orsae, quos rigoris respondens modo aestus excipit, capaces inprimis observantur, utique & in corpore alioqui non valetudinario, inprimisque aetatis non senilis, & nullis vitiis viscerum imi ventris hepatisque potissimum, conflictato. Nam hanc bilis officinam, atque hunc ipsum liquorem, si per veterum monumenta ad hodiernam experientiam procedimus, non parum habere momenti ad coctiones pathologicas, quacunque tandem ratione id explicatum eamus, verisimillimum est. Vicissim crisibus imperfectioribus, quae recidivas, & succedaneas febres atque metastases pariunt, parvas potissimum febres videmus opportuniores: quales plerumque ex horroribus saltem incipere, aut si quis rigor initium

fecit, aestum non ad rigoris rationem, vel horrores admixtos habere videmus. Harum tribules sunt phrenitides primariae, malignae febres omnes, complures exanthematicae, praesertim a maligniori propiores ingenio, id est, ab acuto quodam viscerum imi ventris, hepatis maxime & bilis vitio. Id enim subesse, abunde constat, tum ex illis, quae veteres & in his princeps HIPPOCRATES, de praecordiorum, deque vomituum & alvi deiectionum conditione memoriae prodiderunt, hodiernae experientiae respondentia (*a*): tum cadavera docent, quae in officina primarum viarum colluviem biliosam foetidissimam, bilem ipsam non uno modo degenerem, putrem & corruptam, & viscerum, inprimis hepatis & lienis varias maculas, & inflammatos, neque uno modo contabefactos & decolores tractus, aliasque labes, conspicienda praebent. Eaedem putrefactae bilis corruptelae non per initia saltem morbi videntur concipi, sed per omnem decursum paulatim subnasci. Magna symptomatum pars, praesertim nervosi generis, ex hoc fonte per merum quendam consensum oboritur; ipsaque deliria minus habere videntur caussae in cerebro

(*a*) Vid. laudandus suo iure Cl. WAGNERI libellus, quo novam malignis medendi methodum proposuit.

inflammatoriae, quam iisdem natalibus spasmodicae: si vel attendamus ad prodromos deliriorum spasmodicos, & tremores, verissimo HIPPOCRATIS (*a*) monito, *deliriis accedentibus tantisper cessantes*, & ipsa cadavera inspiciamus, perquam modicas exhibentia cerebri inflammationes, & suspicione leviores, quin forsan circa mortem demum subnatas.

§. VII.

Ex his uti facile apparet, illis in acutis, quae suapte indole crisin per sudorem suis quidem signis promittunt, occupatam in illa coctione naturam, alvum evacuantibus non temere turbandam esse, praesertim ubi indicantium nihil adest, utque praeclare monet AETIUS (*b*), quo propius adest sudor, eo alvus magis cohiberi soleat: sic ultro liquet, quibusnam in febribus seriora ministrare evacuantia, natura ipsa iubeat. Hae scilicet sunt malignae omnes, phrenitides, exanthematicae complures, purpuratae inprimis, miliares & petechiales. Satis arbitramur experientiam docere, quam irrita sit his in febribus spes

(*a*) Coacar. I. 185.
(*b*) Lib. V. 50.

criſeos levaminiſve ſaltem, per ſudores. Si qui adſunt, aut intempeſtivi, fugaces, & particulares eſſe ſolent, ſaltemque ſuperiora tenere: ſin univerſales, & forſan tempeſtivi eſſe creduntur; tantum abeſt, ut pro naturae vindiciis ſint habendi, ut potius inter illos vel profuſiſſimos, aegri moriantur. Reſpondent his febribus, quae HIPPOCRATES de ſudoribus inter initia ſuſpectis non uno loco pronunciavit. Inprimis ad petechiales febres, ad miliares, & malignas alias referenda haec illius oracula ſunt: *ſudor cum febre*, id eſt cum initiis exacerbationum, *in acutis malus* (*a*): deinde & hoc, quo iam iam allatum illuſtratur (*b*): *qui circa exacerbationes tuſſiunt, parumque ſuperioribus ſudant, maligne habent*.

§. VIII.

Sed quum de ſerius adhibendo evacuante quodam agitantur conſilia, horum in partem ſuo iure & virium aeſtimatio venit. Pari ſtudio & declinanda medico temeritatis ſuſpicio eſt, & danda viciſſim opera, ne quod neglectum non bene praeſidium, & adhiberi adhuc, tum poſſe

(*a*) Coacar. IV. 41.
(*b*) Coacar I. 161.

tum debere, videt, a se omissum obiicere sibi queat. Non est in proclivi, dicere, quid virium nomine velis intellectum, dum vires non sufficere urges. Praecipies facilius, actiones laesas esse exigendas ad superstites, quam rationes has ipse inibis, initisque, securus, si diis placet, ratiocinii tui, constitues. Si limites a quibusdam symptomatibus petamus; si deliria, si catochum istum AETII deinde attingendum, atque ab agrypnocomate diversum, si obsitum denique purpura, miliarique exanthemate corpus, iamdudum trans opportunitatem vomitorii processisse opinamur: nihilo quidem certiores inter contraria exempla erimus. Neque est, ut obiiciamus ista CELSI: multa in praecipiti periculo recte tentari, quae postea consultius omittantur, neque interesse, tutumne sit remedium, quod unicum est. Nil tentat, sed consilio agit, qui stimulorum ex proluvie ista in primis viis memor, exemplis admonitus, usuque analogismo, respondente successu serius vomitorium praebet, dum extrema signa nondum adsunt. Non timendae sunt praecipites adeo ventriculi inflammationes, nisi inter alia pessima signa iam singultus adsint. Dignumque memoratu est, sero nimis datam ipecacuanham, neque alio enim utendum vomitorio, tantum abesse, ut inflammationes ventriculi pariat, ut potius aut alvum saltem, aut plane nihil moveat:

cum fcilicet ventriculi nervi fupremam illam paralyfin iam paulatim perpeti incipiant. Supereffe igitur virium adhuc fatis ftatuemus, quum habita temporis morbi ratione, ad extrema figna nondum ventum eft, tum communia, tum fingulis febribus propria, maximam partem ex HIPPOCRATICIS fontibus difcenda. Quum temporis morbi mentionem facimus, e re eft monuiffe, difpiciendum effe fedulo, an eadem adhuc febris fit, an vero fuccenturiata quaedam iam fucceſſerit; quod malignis febribus, exanthematicifque, per modum imperfectae crifeos in alias aliafque febres abeuntibus, familiare eft. Fieri fcilicet poteft, ut elapfi diuturnitas temporis, opportunitatis tranfmiffae fpecie fallat. At male fanguinem adhuc mittes, cum in confpectu iam eft HIPPOCRATICI exemplar trifte moniti (a): *quibufcunque pleuriticis ftrepitus fputi in pectore multus eft, & faciei ftupidus afpectus, & oculi icterodes & caliginofi*, addamus etiam, lacrymofi, *hi pereunt*. Male propones qualecunque evacuans, quum in malignis exanthematicifque, faeces & urinae iam elabuntur non fentienti, cum agrypnocoma verum iam adeft, quum iam inter haec lingua refolvi coepit & vox obfcura reddi, cum

(a) Coacar. III. 141. Brend. Opuf. P. III.

ſpaſmodicus iſte cum reſpiratione ſublimi per intervalla iam occupat anhelitus, cum aliquandiu ante ſervatum in vaſe lotium nigrum redditum eſt, quum denique inter complura e theſauris HIPPOCRATICIS, iam attendimus iſtud (*a*): *qui dum bibunt, ſtrepitum edunt, & murmur, dum ſicciora deglutiunt, & qui difficulter deglutiunt inter reſpirationem tuſſi interceptam*, alibi addit, *redeunte per nares potu, pernicioſe habent in acutis perfrigeratis*. Perfrigeratae acutae ſunt malignae febres, quibus ut ſub decurſu, ſic inprimis circa vigorem frequens eſt, membra gelidiuſcula eſſe: quo nomine multa veriſſima ex HIPPOCRATIS praeſagia ad illas ſpectant. Ceterum in aeſtimandis viribus a tempore morbi & exitialibus ſignis multa recte fiunt ab exercitato, quae faciendae inter initia medicinae conſulto omittuntur.

§. IX.

Venae ſectionibus nullum a dierum numero limitem figi poſſe, abunde confirmat experientia. Praeclare GALENUS (*b*), cum ex more contra illos pluribus diſputaſſet, qui & opportunitatem

---

(*a*) Coacar. I. 92.
(*b*) De curatione per ſanguinis miſſionem, c. 20.

mittendi sanguinis & terminum, diebus nonnullis descripta vellent, *quocunque die*, inquit, *mittendi sanguinis scopos in laborante inveneris, eo auxilium illud adhibeto, si vel vigesimus is ab initio fuerit*. Forsan non abs re addemus: si, praesertim in malignis, vel secunda, quin tertia febris iam decurrat, dummodo extrema signa ne gliscant. In repetendis tamen missionibus a genere febrium discrimen erit. Pleuritides, pleuropneumoniae, peripneumoniae, si consortii nihil a malignitate habeant, & liberaliores & crebriores sanguinis missiones desiderant. Indicia mittendi, a dolore & respiratione difficili petuntur, quin ab hac sola, si vel cessarint, ut fit aliquando, dolores; inprimis si utrobique, celeritate ceterum qualicunque, exilis debilisque pulsus fuerit, impeditum per pulmones iter testatus, plenior a sanguinis protinus missione futurus. Inflammatorium illud in sanguine misso gelatinae coagulum, solum quidem, & sine coniunctis a respiratione signis, nec repetendam sanguinis missionem, nec omittendam suadebit; in societatem tamen indicantium veniet. Adesse poterit, & abesse vicissim, vel eadem die, multas ob caussas. Ad has interest, amplone satis vulnere per scalpellum vena aperiatur, an rimulam saltem, cutaneo vulnere minorem, parum utilis inflixerit phlebotomus iste elasticus; an liberaliore flu-

mine sanguis erumpat, an exprimendus emulgendusque fuerit; quo casu nihil tantisper misisse praestat. Credibile etiam est, si phaenomenorum rationem habemus, materiem istam, cuius origines nunc non attinet longius sectari, in venarum primo systemate subnasci, neque aequabiliter in sanguine concipi, ceterum ipsam abundantiorem sanguinis gelatinam esse, & febre mutatam, & novis accessionibus subinde auctam ex primis viis. Abest saepenumero, sanguine primis diebus misso: tumque de repetenda tantisper venae sectione nil temere constituendum, probeque & dolor & respiratio attendenda; quum fieri possit, ut iteratas detractiones poscant sequiores dies, imo extorqueant. Sunt scilicet hae pleuritides eaedem, quibus teste HIPPOCRATE (a) *in principio dolores molles, quinta vel sexta die exacerbandi; quae ad duodecimam plerumque perveniunt, raro servandis aegris, periclitantibus inprimis die septima & duodecima, ubi vero dies his septem effugerint, morbum eluctaturis:* addamus, vix sine abscessu quodam pedissequo. Cardinale hic remedium in sanguinis missionibus erit, nihiloque secius, si sine doloribus respiratio difficilis invaluerit. Sunt aliae ex pleuritidum classe febres,

(a) Coacar. III. 138.

febres, propiores a maligniori ingenio, quae cum vehementiſſima praecordiorum conſtrictione, per quaſdam exacerbationes reditura, febre modica, horrifica, ſi vel rigor anteceſſerit, incipiunt: hae cautionem eandem requirunt, ſubiuncto tamen ſanguinis miſſioni, vel eadem interdum die, vomitorio. Ceterum, quae de pleuritidum claſſibus diximus, accipienda itidem cupimus de omnibus cum graviori inflammatione acutis: ut angina, colica, quam vocant, inflammatoria, otalgia, rheumatiſmo acuto, febre eryſipelatode graviori, ſi vel modico ad contactum aeſtu fuerint. Tales ex his obſervantur nonnullae, praeſertim coniunctae viſcerum imi ventris inflammationibus: quibus & veteri & hodierna experientia, vel ipſa in puerperarum purpura, febres eſſe minus ardentes, abunde conſtat. His in febribus, non aeſtus vehementia, ſed dolorum aliorumque ſymptomatum, ut colicae, quam vocant, inflammatoriae, undecunque ſubnatae, exemplo videmus, repetendam ſanguinis miſſionem & ſuadent, & moderantur.

§. X.

Febres viciſſim malignae atque exanthematicae, utique quo plus conſortii a malignitate, id eſt hepatis biliſque acutiori vitio, illis fuerit,

neque liberales adeo sanguinis missiones, neque crebriores postulant, ac pleuritidum vulgarium genus; sunt tamen & hic discrimina quaedam momenti non levis, ipsius iudicio medici committenda. Quod hae febres alias mittendi sanguinis cautiones desiderent, caussa non est in viribus: sed quod inter initia perraro aliquid in sanguine misso vitii deprehendi soleat, idque in ambitu adhuc primarum viarum lateat, inprimisque lacessitis a pari vago & intercostali nervis, maximam partem symptomatum, ipsaque deliria, producat. Inde, scilicet sanguis, per malignarum & exanthematicarum initia, est integerrimo plerumque simillimus: si serius mittendus fuerit: inflammatorium illud, variis distinctum coloribus, coagulum exhibiturus. Facile patet, ex his phaenomenis tot controversias de sanguinis missione in malignis & exanthematicis, componi nonnihil posse. Harum itidem febrium classi adscribimus phrenitidem primariam, in qua, ut HIPPOCRATES recte ait, & parva febris, & omnia initio mansueta, malignarum febrium quam simillima sunt, missusque sanguis, & sub altero, iamque furioso stadio, raro manifestae corruptelae quid habet: ut symptomatum potissima cohors, quod supra iam attigimus, a consensu potius nervorum ex imo ventre, quam ab inflammationibus cerebri, forsan sub mortem demum

conceptis, utque cadavera docent, expectatione pro furoris modo minoribus, repetenda videatur. In quam sententiam & de malignis exanthematicisque ultro veniet, quisquis tot HIPPOCRATICA monita de praecordiorum symptomatibus, de vomitionibus & deiectionibus aeruginosae putrisque colluviei, de spasmodico atque tenesmode alvi exonerandae modo, de urinae difficultatibus, & huius generis alia, quibus nil verius est, conferre cum cadaveribus voluerit. Ex his uti liquet, cur febrium acutarum hoc genus, non liberales adeo sanguinis missiones requirat: sic apparet, plus saepe levaminis a seriori sanguinis missione, quin repetita, docente quidem experientia, expectari posse, si praesertim primis viis inter initia prospectum rite fuerit, & peripneumonia quaedam symptomatica accesserit. Fatemur dandam operam, ut anxietatem ex praecordiis, mere spasmodicam, alysmum illum Graecorum, a peripneumonica discernamus, quam impeditior sanguinis, inflammatoria gelatina in coagulum prona, distemperati, ex arteria pulmonali in sociam venam transitus parit. Has dignoscere exercitatissimi omnino est: praesertim, quum coniungi sub incrementis febrium soleant, exemplo anxietatis a retrocedente purpura, quae non peripneumonica saltem, sed etiam spasmodica est. Ista tamen non prohibent seriorem san-

guinis missionem, quia imperant potius, semper allaturam levamen, sed quantitatem moderantur: forsan etiam suadebunt repetendam, praesertim inter vim revulsoriam vesicatoriorum, & alia remedia. Multum, ad discernendam spasmodicam illam anxietatem, afferet adiumenti, prudens & circumspectus usus signorum HIPPOCRATICORUM ex praecordiis tumidis, dolentibus, duris, aestuantibus, revulsis, intentis etiam tumidiusculi abdominis musculis: sive nondum delirarint, & de praecordiis ipsi respondere possint, sive iam delirent; dummodo ad extrema signa nondum ventum fuerit. Cumque febres has non unius febris decursu absolvi iam notarimus, sed ex pluribus, sibi succedentibus, per modum imperfectae cuiusdam criseos componi: non dierum quidem numerus sufficiet ad omittendam quandam seriorem venaesectionem; confirmatum tamen usu medici praesentis iudicium requiretur. De sanguinis missione seriori in variolis, inter tot sententiarum & divortia & conflictus, omne punctum SYDENHAMIANA praecepta ferunt.

§. XI.

Plus igitur a sanguinis missione in febribus illis, quas vocant, inflammatoriis, expectandum

erit: plus a vomitoriis & alvum ducentibus, sub horum iusto delectu, in malignis exanthematicisque. Atque haec, ut ad usum illorum ordinarium, initiisque debitum, sic ad seriorem nihilo secius pertinent. Audiamus de vomitoriis HIPPOCRATICI aemulum ingenii SYDENHAMUM (a): *quod si nobis*, inquit, *ut saepe fit, sero accersitis, non licuerit, emeticum propinando, aegrorum saluti sub febris initium consulere: certe tamen convenire existimaverim, ut quovis morbi tempore id fiat, modo vires eo usque morbus non attriverit, ut emetici vim ferre amplius nequeant. Ego quidem die febris duodecimo vomitum imperare non dubitavi, etiam cum aeger vomiturire desiisset, neque sine fructu: eo namque diarrhoeam sustuli, quae sanguinem in peragenda despumatione impedivit; quin & serius idem facere minime dubitarem, nisi virium attritarum ratio prohiberet*. Harum nomine, quod supra delibavimus, absentiam lethalium signorum esse intelligendam, limitemque alium a dierum numero, nullum esse, studiosior experientia facile notabit. Tantum abest, ut serius paulo quoddam ipecacuanhae praebium vires frangat, ut addere potius videatur: nam & deliria, si non

(a) Observat. de acut. Sect. I. C. 4.

quiescunt, minuuntur tamen, magisque recreatus aeger apparet; si vel alvus saltem soluta inde fuerit. Neque enim unum vomitorii beneficium hic est, proluviem quandam sursum excutere, sed lacessere & excitare torpentes potissimum circa concursum paris vagi & intercostalis nervos: unde videmus, si vel nihil vomitu reddatur, quamquam id fiat auspicatius, levatos aegros videri. Sera nimis, & prospiciendis signis lethalibus exhibitio, minime convenit: si tamen inter prognoses de rebus fere conclamatis, proponendum adhuc censuerit rerum usu exercitatior: aut nihil agere prorsus, deleta iam vi nervorum ventriculi observabit, aut uno alteroque in vomitum molimine, inanem potius & malignam spem refocillare, quam quod reliquum vitae est, extinguere. Quae de diarrhoea monet SYDENHAMUS, cum grano salis accipienda sunt. Nam fieri solet, ut quodam naturae ordine, cumque illius levamine, circa morbi vigorem alvus fluxa fit, utique, si inde ab initio morbi liberaliores haemorrhagiae undecunque fuerint: deinde, quod in malignis & exanthematicis fit, si tum ista biliosae putrilaginis incrementa, tum metastases ad intestina, naturam ad vindicias quasdam per alvum lubricam provocarint.

§. XII.

Cum autem sub usu evacuantium per initia, observandae vel declinantes exacerbationes sunt, vel remissiones ipsae: tum easdem opportunitates & serior adhibitio postulat. Danda est opera, ne initia febrium exanthematicarum & malignarum videantur nobis erratica, quibus typos suos, id est, periodorum ordines, non deesse observabimus, si ad exacerbationes plerumque vespertinas, satis aequabiles & manifestas, attendamus: memores, remissiones primorum dierum subobscuras tantisper esse posse, & parvis quasi exacerbatiunculis occupari, fallere hoc erraticae febris simulacro, datoque inprimis tempestive vomitorio, periodorum ordinem luculentiorem futurum. De his generatim initiis, in conspectu quasi circumferendum illud HIPPOCRATICUM (*a*): *qui melius habuerunt, si postridie contingat exacerbatio, malum; si tertia die non nihil levatis, quarta fuerit exacerbatio, malum. Num exacerbationes huiusmodi sunt phreniticae?* Phrenitidis nomine HIPPOCRATI, & omnes paraphrenitides, sive malignas venire, satis constat.

(*a*) Coacar. T. 112.

§. XIII.

Opportunitas igitur ipſa ſerius adhibendorum evacuantium, eadem ac ſub initiis, ſcilicet aut remiſſio quaedam erit, aut declinans exacerbatio. Si forſan non ſatis luculentae videantur remiſſiones, neque ſcrutinium periodorum inde ab initio morbi, certi quid doceat: recolendum omnino erit, exacerbationes cadere plerumque in veſperam noctemque, cum incrementis febrium quotidie citiores adeſſe proximis, reddique diuturniores, ut parum temporis, fereque antemeridiani, remiſſionum quoddam ſaltem inſtar ſit: ceterum alternos fere dies ſibi mutuo reſpondere. Quare iſtae inprimis horulae ſtudioſe obſervandae, vomitorio ſcilicet, aut alvum blande ducenti remedio commodiſſimae. Neque eſt, ut fatua quaedam ſudorum ſimulacra nos a conſilio deducant. Uti dato evacuante luculentiores fiunt remiſſiones: ita ſi quid expectari levaminis a ſudoribus poteſt, id in tramitem quaſi revocato per vomitorium decurſu morbi, cum declinantibus, quae ſequuntur, exacerbationibus, ultro affuturum obſervabimus. Sub concurſu indicationum vomitorii & venaeſectionis, ſi vel initio miſſus ſanguis fuerit, intereſt, ad reſpirationem ſedulo attendere. Quae ſi cum exili celerique pulſu pe-

ripneumonica fuerit, consultum erit, praemittere venaesectionem, quin & primis viis tantisper lenitivo prospicere: postridie autem de vomitorio constituere. Si vero laborent inprimis praecordia, spasmodicaeque potius anxietatis quam peripneumonicae signa fuerint; si scilicet calor naturalem non excedat, quin vel hoc minor sit, si sudores teneant potissimum superiora, si horrorum adhuc occurrant vestigia, si in laborante nonnihil iam sit stuporis, si linguam inspecturi, observemus tremulam (*a*), verissimum illud indicium obrepentis delirii, etsi nondum luculenti; si dolores spastici fuerint in collo, inque pharynge & larynge, si auditus non sine sonitu quodam difficilior, si lacrymosi non nihil & squalidiores oculi, cum vestigiis etiam ad canthos subictericis, conspicuisve nimium in albugine vasis sanguiferis, si coryzae istud in naribus simulacrum, si salivae copia fuerit, analogum istud ex lienosis & in febribus malignis symptoma; si vomitoria luctamina, si denique faciem rubor spasticus & subinde fugax perstrinxerit, quaeque plura eius generis sunt: horum sub variis consortiis, primum locum ipecacuanha tenebit. Exercitatior, brevi ista opportunitate ad utramque evacuationem utetur, si necessitas urgeat.

(*a*) Coacar. I, 143. II, 142.

§. XIV.

Atque in purpura quidem & febre miliari; vel inde ab initiis, & quum ad cutem nulla adhuc metastasis consecuta est, duo videntur curationis summa capita esse: alterum, ut habita ratione indicantium, quae simul adesse possunt, istam primarum viarum ex putribili colluviem, vomitorio tempestivo excutiamus, & subnascentem per omnem morbi decursum, iterum iterumque deducamus, inter alia remedia, quae coercendae putrilaginis vim habent: alterum, ut si quid ad sanguinem transmissum iam est, partem non minimam metastaseos exanthematicae daturum, per ulcera artificialia ex vesicatoriis, & perpetim, & diutule post morbum alenda, exterminemus. Nam quicquid imperfectiorum crisium est, quorsum referendae metastases exanthematicae, id conspirare in abscessus suppuratorios, atque huc, quasi ad metam quandam contendere, praeeunte HIPPOCRATE, docet experientia. Haud dubio sic imitamur naturam, memores tot exemplorum de purpura & miliari febre, per ulcera ex vesicatoriis spontanea & diuturna, etiam inter alvinos putri proluvie fluxus, integerrime solutis: cum vicissim sub ancipiti & malignae sudorum spe, quin hos inter profusissimos,

inter densa & exanthemata & symptomata, omnia in deterius mortemque ruant. Suo tempore & sub manifesta morbi declinatione, cumque finibus matutinis disparentium paulatim exacerbationum, addet natura sudores melioris notae, vix profusos, sed cum modico cutis madore saltem halituosos, cumque his sudoribus, & urinas coctiores, vel diutule a superato morbo. Ceterum terminus erit alendorum ulcerum, ubi admotis iterum ad loca exulcerata cantharidibus, iam vix uno alteroque die, isque exiguus, puris proventus est, cum per complures dies & ultroneus & liberalis nuper fuisset.

§. XV.

Ita vero cardinalium evacuantium opportunitates studiosius aucupati, reliquum diei tempus, iisdem, quae deinde attingentur, remediis tantisper tribuemus: ceterum per sequentes dies iugi quadam serie id agemus, ut matutinis horis, deducendae paulatim, quae quotidie subnascitur, colluviei, remedia ex rhabarbaro, quibus inter varia, ex mixtura simplici eiusque generis aliis, connubia, nihil hic accommodatius est, & specificae non uno fine vires, praebeamus. Minime quidem adspernanda aloetica, parte potissimum gummea, in variis etiam compositis. Haec sub-

ftitui nonnunquam poterunt, utique, quo fortiores fuerint deiectiones: sed universim fidem liberabunt ex rhabarbaro parata, aloeticis illo potissimum casu praeferenda, si deiectiones cum impetu quodam spasmodico fiant. Nam etsi omnibus exanthematicis & malignis frequens sit, alvum cum tenesmo quodam exonerari: is tamen increscente adhuc morbo saepe tantus esse solet, ut fides constet illi HIPPOCRATICO (a): *egestiones, quae desinunt in spumosas, universim exacerbant, inprimis spasmodice affectos*. Alvum sic egerere, indicio est, nondum declinare valetudinem, praesertim quae ex genere spasmodico fuerit: quale & hic symptomatum illud satellitium maximam partem esse, supra submonuimus. Pomeridianis nocturnisque horis, si somnus non est, conveniunt ex antiphlogistica supellectile, quorum haud dubie praecipua vis est in mutanda frangendaque degeneris putredine bilis. Atque hic nitrum, sal ammoniacum, acida, oxymel, quaeque eius classis sunt, camphora, principatum tenent, ex idoneis potulentis, praesertim cremorum variorum ad indolem accedentibus. Nitrum primis diebus dicatum esse potest, alvi potissimum caussa: ubi vero iam rhabarbarina propinantur,

(a) Coacar. VI. 44.

multo pluris erit, potissimum coercendae putredini, sal ammoniacum, quaeque illius similia sunt, Insistendum erit quotidianis rhei quacunque forma praebiis, quibus quo praestantius sui generis nullum est: at si palato serviendum erit, & aliis, e penu alvum ducentium, febribus continuis dicata, si fieri potest. Terminus exhibendi erit, cum alvi recrementa, initio vel aeruginosa, vel qualia in HIPPOCRATICIS atrabiliaria ista describuntur, paulatim receperint colorem a naturali propiorem, inprimisque tetra ista mephitis abesse coeperit: unde colligimus, bilis secretionem ad naturae modum nonnihil redire. Atque haec ut contingunt, ita omnia symptomata luculenter minuuntur. Non est ut metuas, ne vires labascant, si pluries quotidie deiiciat aeger; non est, ut mala e recondentibus se se exanthematibus animo praecipias: secus evenient omnia. Non fractum viribus, sed recreatum quoad licet, aegrum videbimus, minui & deliria & pervigilia, spasmodicos quippe natales habentia, typum periodis exacerbationum fore luculentasque remissiones, decrescere suo tempore exacerbationes, exanthemata aut intercipi, aut nulla recipere incrementa, quin paulatim sic disparere, ut etsi nonnulla cum exacerbationibus febris adhuc prodeant, pro ratione tamen minuantur, soluta in squamulas epidermide: atque sic lento gradu finem mor-

bi fieri, ſponte tandem accedentibus halituoſis quibuſdam blandiſque ſudoribus, cum ipſis decreſcentium exacerbationum finibus, uriniſque diutule coctis. Raro quaedam ad purpuram recidiva eſt, praeſertim ſi ulcera ex veſicatoriis foveantur, vel addantur alia: quin, ſi febris forſan ingraveſcat iterum, plerumque finitur ſudoribus bonae notae, ut de recidivis quibuſdam poſt criſes imperfectas, veriſſime HIPPOCRATES non uno loco monuit. Addendum erat, anodynis ſub noctem interdum opus fore, ab exercitato dandis, ubi faeces coeperint ad naturae modum nonnihil mutari, etſi liquidiores ſemper futurae. Sed antequam haec meliora indicia ſe prodant, abſtinendum erit: praepoſterus enim uſus cum periculis coniunctius omnino magnis eſt. Repetenda erunt iuſtis intervallis ex rheo parata, vel ſimilia: ſcilicet ſubinde minarum aliquid ex redeunte faecum putredine erit, quicum & deterior laborantis conditio coniuncta protinus eſt. Statim autem, ac ſomnum naturalem ſuccedere obſervamus artificiali, quo adhuc lenimine, miſſis tantiſper de hoc argumento controverſiis, carere vix licuit: facile apparet, iam ſubtrahendum illud nepenthes eſſe, cum nil ſine indicatione agendum ſit. Superato morbo, proſpiciendae ſunt variae metaſtaſes, omnium pediſſequae criſium imperfectarum ex illarum numero, quas ſu-

pra commemoravimus. Hoc tempore, quod antiquata voce scholae methodicae metasyncriticum appellare fas sit, convenient lacticiniorum acidularumque delectus, connubia utrorumque, cortex peruvianus, calybs, & quicquid aperiendis roborandisque commodum est visceribus, chyli officinam componentibus, quae hic inprimis laborabat. Nam inter alias metastases frequentissima est ad hypochondriacarum affectionum ambitum, quo complectimur & arthriticas, quorsum ex hypochondriacis atriis itur, & haemorrhoidales varias, inprimis quas multis locis ascaridodes dixit HIPPOCRATES: non de ascaridibus, sed de serpigine prurituque sedis inguinumque & genitalium intelligendus. Verissime DIVINUS SENEX (a): *intus relicta post crises, recidivas pariunt: primo quippe lienis tumores, aut decubitus ad articulos, nisi haemorrhagia contigerit; aut hypochondrii dextri intentiones, nisi fluxerint urinae*, addamus, coctae, non crudae istae & aquosae, quas splenicas prisci appellabant. Ceterum quanti sit ad intercipiendam magnam metastasium partem, ulcera ex vesicatoriis alvisse diutule, experientia docebit, & hic vindex HIP-

(a) Epid. II. Sect. 3., Epid. VI. Sect. 2.

POCRATICORUM monitorum (*a*) de abſceſſibus, poſt criſes acutarum imperfectas arte excitandis.

§. XVI.

Haec ut inde ab initiis medelae via eſt: ita diſpar non erit, ſi ſub incremento morbi acceſſeris. At plus omnino & cautionis & iudicii hic requiritur, praeſertim inter conflictum indicationum. Si vomitorium dari non poſſe videtur, ſubſiſtendum eſt in rheo, ut ex indicatione ſanguis forſan mitti poſſit: quin ſi vel nauſea remedii in vomitum eruperit, id non inauſpicato fiet. Quamprimum etiam, per ſuppurationem ex veſicatoriis, educendae exanthematicae ſaniei, ſanguine iam conceptae, initium fiat, neceſſe eſt; dum alteram partem indicationis, quae in detrahenda blande paulatimque putri colluvie ex primis viis, imminuendo ad ſanguinem affluxu, temperandis denique, dum deduci viciſſim queant, & reliquiis & novis acceſſionibus, per rhabarbarina & reliqua remedia exſequimur.

§. XVII.

(*a*) Epid. II. Sect. 3., Epid. VI. Sect. 2.

§. XVII.

Eadem curatione, ſaltem quod unum vomitorium plerumque non ſufficiat, occurri poteſt phrenitidi primariae, ſi vel alterum idque furioſum ſtadium iam immineat, quanquam tum difficilius nonnihil: petechialibus item febribus, & omni malignarum, tot formas habentium, cohorti; ſive lentis inſidioſiſque obrepſerint initiis, ut ſolent, quae cauſſis corpori inquilinis privatiſque concipiuntur; ſive celerius invaſerint, quod ſit plerumque, ſi contagio immiſſae fuerint. Eſt ſuus ſingulis decurſus, ſpeciei tenax, cauſſarum ſtatus perpetua diſcrimina, ſed occulta: nihilo tamen ſecius cognationis plurimum illis eſt, & mutuae, & cum exanthematicis memoratis, quibus ſaepe implicantur. Id vero docent phaenomena & ſymptomata ex primis viis, imperfectae criſes, ſeries metaſtaſium, & maligna ſpes levaminis per ſudores, niſi ex recidiva quadam. Incaſſum retrogradas timeri petechias & diſparentes maculas, iiſdem ſaepenumero caſus, qui de purpura, poſſunt admonere. Nam ſaepe obſervari ſolet, inter fluxus alvi foetidiſſimos & decolores, ſuae ſpontis obortos, inter ulcera ex veſicatoriis: natura utrobique iniquis reluctante ſtudiis, & petechias & ſi quid macularum erat atque vibicum,

ſic diſparere, ut cum timuiſſes graviſſima, ha naturae vindicias miratus videas,

quam ſe ſubducere colles
Incipiant, lenique iugum demittere clivo (a):

ſcilicet per metaſtaſium quoddam lentum ſyrma. Imitati naturam, vel repetitis ex indicatione vomitoriis, producto lenientium uſu, ulceribus denique artificialibus tempeſtive excitatis, obſervabimus, petechias maculaſque, ſemel iterumque cum exacerbationibus febris tantiſper redituras, diſparere paulatim ſine pediſſequa tempeſtate, ceſſare tuſſiculam iſtam ſub exacerbationum initiis, deliria iſta ſtupida, taciturna, indolis, ut alibi vocat HIPPOCRATES, atrabiliariae, minui ſenſim, quicquid ſymptomatum eſt, uti putrilago deiectionum iſta minuitur. Inde veriſimillimum eſt, in partem metaſtaſeos exanthematicae venire, quicquid bilioſae & putris amurcae lacteae biberant & meſaraicae venae, per has inprimis derivandum ad hepar, bilis vitiaturum ſecretionem, bilemque ſic corruptam perpetua quaedam incrementa putridae inteſtinorum colluviei addituram. Incidit in malignas, frequentius iuvenili & conſtituta aetate, quam declinante, ſingularis quidam ſtupor, diuturnitatis interdum index,

(a) VIRGIL. Ecloga IX. 8.

quin pluries recidivus; catochum AETIUS (*a*) appellat, vivaque imagine exprimit: si adieceris saltem, plerumque gelidiusculos esse aegros, extremis praesertim, illoque tempore, quod imminentibus febriculae respondet exacerbatiunculis, tum etiam salivam illis immodicam esse. Hic nihil sine repetito vomitorio, saepe ne uno quidem, agemus. Audiamus ipsius naturae dictamen ex DIVINO SENE (*b*), loco, alios inter, de hoc stupore, docente experientia, accipiendo: *Quicunque cum febre continua iacent sine voce, oculisque conniventes nictant, hi, si postquam sanguis naribus fluxerit, aut ultro vomuerint, ediderint aliquid vocis, atque ad se redierint, servantur: sin minus, difficulter spirare incipiunt, subitoque moriuntur*. Cautius adhibenda erit venaesectio, si praesertim gelidiusculi cum salivae affluxu fuerint: tumque in vomitorio cardinalis spes est. Accensendus enim hic stupor *perfrigeriis* istis *torpidis*, *sub quibus laedere sanguinis detractionem*, verissime HIPPOCRATES dixit (*c*). In scarlatinae utroque stadio quanti sit, primis viis & mature prospicere & serius, ad avertendos faucium affectus, Sy-

(*a*) Liber VI. c. 9.
(*b*) Coac. I. no.
(*c*) Coac. III. 62.

riacis istis ARETAEI, ALAYMI, FOTHERGILLII, CHOMELII, interdum similes; ad intercipienda consortia aliorum exanthematum, praesertim miliarium, plerumque lethalium, & raro faciem, sed reliquum hic atque illic obsidentium corpus; ad tusses denique spasmodicas, lentasque febres, a secundo stadio cum vitae ex peripneumonia periculo superstites, satis experientia testatur. Sed calamum temporis brevitas nunc retinet.

IOAN. GOTTOFR. BRENDELII

PROFESS. QUONDAM MEDICI IN ACAD. GEORGIA AUGUSTA CELEBERRIMI

DISSERTATIO DE ABSCESSIBUS PER MATERIAM ET AD NERVOS

RESPOND.

GEORGIO AUGUSTO HENRICI

LEOBURGICO

GOTTINGAE

Menſ. Octobr. 1755.

§. I.

Apoſtaſeos ſive abſceſſus vocem HIPPOCRATICIS in libris non uno arctiuſque circumſcri-

pto legi ſignificatu, neque ſpeciem ſaltem, ſed genus quoddam notare, ſcrutinium ex ipſo rerum uſu facile docet. Accipiendam ſaepe liquet, de ſeceſſu materiae cuiuſdam extra ſanguinis orbitam, coctionum diverſis paratae modis, ſive pus verum iſta fuerit, ſive colliquamentum quoddam aliud pure crudius. Subinde abſceſſus nomine, interpres experientia intelliget affectiones quaſdam cerebri & nervorum, in quas alia quaedam valetudo quaſi abſceſſerit. Nonnunquam legitur de aliis morbis, qui praegreſſos conſecuti alios, medelam his attulerint: quin de ſymptomatibus ſaltem, quibus ſub decurſu morbi cuiuſdam aliud tantiſper ſymptoma levatum ſublatumque fuerit. Atque has ipſas ſucceſſiones ſymptomatum & ſuccenturiatas quaſi vices, interdum & criſes priſtinorum ſymptomatum HIPPOCRATES appellat. De abſceſſibus poſt febres acutas & univerſim, & poſt pleuritides, ſigillatim proſpiciendis, multis dum praecipit locis, iſtos κυρίως dictos, purulentos quippe, intellectos vult: ſed interdum πυωδέων & ἐκπυΐντων, diſcriminis ergo, addit epitheta (*a*) interniſque huius generis empyematum nomen frequenter tribuit. Cutis quaſdam affectiones abſceſſuum loco habendas praeclare docet (*b*) ſi celerius copioſiuſque

(*a*) Coac. I. 163. 191. Lind.
(*b*) Prorrhet. II. 49.

eruperint : ſin longiori tempore, paulatimque, morbos eſſe. Non raro legimus, abſceſſum cuipiam contigiſſe ad ſtranguriam, ad coxae crurumque dolorem, ad tuſſim : quae quidem alibi ſpaſmodica eſſe, veriſſime dicit. *Lacrymoſum abſceſſum* (*a*) perveniri ad oculos, & brevi quaſi culicum puncturas erumpere monet, ſi cum nauſea quadam anxiis, ἀσώδεσιν, alvi fluxus cohibeatur : quod obſervari ſub incrementis malignarum petechizantium, quas vocant, ſi ſiniſtris officiis diarrhoeae iſtae putridae, molimina naturae in vindicias ſuas, ſupprimantur, obiter notamus. *Lacrymoſi abſceſſus* hic ſunt illacrimationes iſtae ſpontaneae, quas compluribus locis, aſſertrice experientia, valde ſuſpectas & ſaepe lethales eſſe ait ; utique ſi ſorditiem ſebaceam coniunctam habeant, fila diductis trahentem palpebris : quae delirantium ſunt ὄμματα ἐπιχνὺν ἴσχοντα (*b*), in iiſdem inprimis malignis. Tremoribus acuta ſub febre ἀκρίτως ceſſantibus, ſuccedere finito morbo alias valetudines, veriſſime docet (*c*). Haec ad criſin totius morbi non referenda, ultro liquet : at ceſſant ἀκρίτως tremores,

(*a*) Coac. I. IV. 19.
(*b*) Coac. IV. 15.
(*c*) Coac. I. 198.

interprete usu, si nihil symptomatum excretionumve eius generis subsecutum fuerit, quibus tantisper levari vel cedere isti solent. Observatur scilicet in acutis, disparere tremores manuum, ubi deliria sese efferunt (*a*) dum redeant propius in mortem, ferali cum deliriis connubio. Disparent itidem tantisper, succedente quadam haemorrhagia, vel ptyalismo isto malignarum quarundam, vel vomitu, vel stranguria, aliisque e genere spastico symptomatibus. Tremulae linguae, prodromi isti, inter obscura potissimum febrium malignarum initia, frequentissimi, aut *mentis non omnino firmae* (*b*) inprimis cum *voce tremula* (*c*), aut inter alia signorum consortia, neque saltem in acutis, *diarrhoeae* (*d*): ultra deliria luculentiora minus conspici solent. Sed quis ambitus illorum sit, quae abscessus nomine in HIPPOCRATICIS leguntur expressa, praeclarus, vel potiores in usus, locus ostendit (*e*), *abscessus* quippe fieri *aut per venas, aut per alvum, aut per nervos, aut per cutem, aut ad ossa, aut ad spinalem medullam, aut, ad alias excretionum vias*, ἐκροὰς; *os, pudendum, aures*,

(*a*) Coac. I. 185. Aph. VI. 26. de Cris. XI. 10.
(*b*) Coac. II. 149. Prorrh. I. 3. 2.
(*c*) Prorrhet. I. c. Coac. 143.
(*d*) Coac. II. 147. VI. 108.
(*e*) Epidemior. II. Sect. I. 52.

nates, *ex utero menstrua* (*a*). Dolendum est, intercidisse de abscessibus librum, de quibus se scripsisse memorat DIVINUS SENEX, *qua ratione constituendum de singulis sit* (*b*). Eius libri cum mentionem faciat, signa, ut ait, traditurus, ex quibus coniicere liceat, *aut sanos futuros homines aut morituros*, *tempore tum breviori tum longiori*: dubitari vix potest, quin de abscessibus non saltem purulentis, sed de morborum symptomatumque aestimandis successionibus mutuis, cardinali semioticae parte, expositum fuerit.

§. II.

Non videmur abituri in devia, si latiorem illum antiquumque significatum secuti, abscessum sive apostasin universim dixerimus morbi transitum in alium quendam, per coctionis imperfectae modum. Neque refragabimur, si & vices illas successionesque symptomatum, sub decursu morbi

(*a*) Haud dubie hic recte sequi videmur, emendationem CORNARII, qui exemplari Aldino Bibliothecae Academiae praestantissimo eo sua manu, quod ex fronte codicis apparet, ut aliis locis lectiones varias, ita hic adscripsit, ἐπιμήνια, pro ἑκταμήνω, quod vulgo corrupte legitur.

(*b*) Prorrhet. II. 2. 4.

cuiusdam; quibus pristina tantisper disparent vel minuuntur accedentibus, adscriptas definitioni quis voluerit. Quicquid observatur abscessuum, in duas summas classes colligi experientia teste, potest. Alii sunt abscessus per materiam, qui continentur liquidi cuiusdam, coctione producti qualicunque, separatione secessuque ex ambitu vasorum sanguinis circulum describentium. Id non una deinde mutari ratione potest, quin solidescere aliquando: atque aut ipsa vasa ultima opplet, aut ad cellulosa viscerum & membrorum frequentius colligitur, aut aliquando in cava proprie dicta deponitur. Alii abscessus, si quid & in morbis & in cadaveribus contemplatio phaenomenorum docere potest, sive materia quadam fiunt, inprimisque afficiunt vim motricem, tum fibris animantium a CONDITORE insitam illam, de qua *irritabilitatis* nomine superiori iam saeculo praeclare & copiose exposuit GLISSONIUS (*a*), tum e cerebro nervisque adventitiam; utcunque tandem appellitandam censueris. Hi sunt haud dubie abscessus illi HIPPOCRATICO effato memorati, per spinalem medullam, perque ner-

---

(*a*) Tractatu de ventriculo & intestinis cap. 7. 8. 9. Addatur libri quem ipse ibi citat, *de natura substantiae energetica, sive de vita naturae* cap. 14. & 15.

vos . Hos in HIPPOCRATICIS non ſemper notare tendines, aſſertione non eget: quin apoſtaſium ad tendines & aponeuroſes pars non minima referenda huc eſt. Ne quaeſtionum quarundam ſymplegadibus hic committamur, unum afferre liceat experientiae teſtimonium, tendinum notiſſimum iſtum & luculentum ſine muſculi contractione ſubſultum, quem in acutis, pro aliorum ſignorum connubio, tum inſtantem mortem tum diuturnitatem portendere veriſſime HIPPOCRATES (*a*) praecipit, altero inprimis loco *τενόντων* uſus vocabulo. Uti vero per materiam ad cerebrum factos huius claſſis tribules non eſſe liquet: ita quae ſint commercia abſceſſuum claſſis utriuſque, deinde experiemur.

§. III.

Qui per materiam quandam fiunt abſceſſus, hos aut in loco affecto concipi, aut aliorſum decumbere conſtat. Non infrequentes ſunt, ut perpaucos ſaltem carpamus exemplorum floſculos, ex pleuritide & peripneumonia purpurae, affectiones cutaneae, abſceſſus purulenti, non ſaltem in loco affecto ſed ad externa membra, in-

---

(*a*) De Criſ. VIII. 15. Coac. II. 196.

primis pone aures & ad crura (*a*), utrique meliores, ſi vel ἐκσυριλλοῦσθαι contigerit. Strictim attingimus tum abſceſſus ex anginis ad pulmones & crura (*b*) hos quidem difficulter ad perfectam ſuppurationem, veriſſimo HIPPOCRATIS (*c*) monito perducendos: tum abſceſſus *ad coſtas vel articulos ex dyſenteria*, quos duplices DIVINUS SENEX (*d*), ſubdubius tamen de locorum excipientium diſcrimine, ſpeciei utrique illorum adſtrictos, his commemorat: *num biliosus abſceſſus in articulis, cruentus in coſtis ſit?* Obiter addimus aliquoties obſervatum, praeſertim cum graſſata 1741. omnem per Europam dyſenteria, & hic viciniae ſtragem ederet, compluribus tumores ad articulum inprimis utrumque tibiae, itemque ad thoracem & dorſum abſceſſus purulentos (*e*) ordinarios, frequentius carbunculos dorſo & lumbis, quin ad cervicem, ſubnatos fuiſſe, & hos quidem, vel cum maturrimi eſſent ultroque aperirentur, pus cruentum fudiſſe. Cum nonnulli inter tumores ad articulos dubie levati

(*a*) Coac. III. 163. 167. Prognoſt. 18.
(*b*) Coac. III. 105. Prognoſt. 23. 15.
(*c*) Coac. III. 117.
(*d*) Coac. III. 290.
(*e*) Epidem. IV. 24. 8. Conf. Cl. TITSINGH *Geneeskonſt der heelmeeſters tot dienſt der Zeevaart* pag. 86.

tandem intabuissent, quibusdam convalescentibus abscessus purulenti, & in uno alteroque scabies, in societatem vindiciarum venissent: in cadavere uno notare licuit, istos ad articulos tumores colliquamentum quoddam fuisse in cellulosam non saltem subcutaneam, sed etiam iuxta tendines & aponeuroses, quin proxima ligamenta effusum, alibi liquidius, albuminis ovorum simile, alibi spissius, & quasi steatomatodes, fereque levissime flavum. Credibile est, hos esse abscessus istos biliosos HIPPOCRATIS, accensendos forsan illis, quos alibi *non podagrico modo* fieri (*a*) monet: & cruentos de furunculis carbunculisque hic accipiendos. Transimus abscessuum per materiam ex utroque genere exempla, qui chronicis morbis succedere solent.

§. IV.

Abscessus ad nervos, si studiosius attendamus, rarius paullo in locis primo affectis, vel in ipsa ex hypochondriis valetudine, frequentius multo ad alias & saepe remotissimas partes contingunt, fereque consensu absolvuntur, sive traduce per nervorum commercia, inprimis ex visceribus imi ventris, quae vicissim ex superiori-

(*a*) Prorrhet. II. 47.

bus afficiuntur ; ut in dyſuria , vel vomitione ex vulneribus capitis , vel capitis dolore idiopathico , ſimilibuſque caſibus : qui tamen & ipſi frequentia illis cedunt , quos conſenſus ex viſceribus abdominis & pelvis parit . Exemplorum abunde in acutis & chronicis eſt : ſatiſque praebent , ut pauca attingamus , vel auditus vitia poſt febres malignas , diarrhoeis ſolvenda (*a*) , ſurditates periodicae illorum , qui viſceribus imi ventris utcunque laborant , apoplexiae iſtae atrabiliariae , quas cum HIPPOCRATE (*b*) appellat FRANC. BAYLE (*c*) , non abs re ſcilicet , quum hepatis inprimis & bilis vitiis , conſenſu vel ex phaenomenis manifeſto , ſubortae ſint : paralyſes porro artuum ſpaſmique viciſſim , viſuſque & auditus valetudines diverſae ex doloribus acutis inteſtinorum & dyſenteria , partuve difficili , iſchiades diuturnae ex anginis (*d*) , ex opthalmiis chronicis (*e*) , ex febribus malignis , morbiſque aliis abdominis , quin deliriorum variorum ex hoc fonte complures mirabileſque for-

---

(*a*) Coac. II. 103. Aph. 4. 60. de Criſ. 446. 11, 12. &c.

(*b*) De morbis I. 3. 15. Aph. 7. 40pluriesque aliis locis.

(*c*) Tractatu de Apoplexia c. inprimis 4.

(*d*) Coac. III. 117. Conf. Epid. II. 2.

(*e*) Prorrhet. II. 28. 21.

mae, Quicquid autem abſceſſuum, tum per materiam, tum ad nervos, loco affecto non circumſcribitur, metaſtaſium ſigillatim nomen ſibi vindicat.

§. V.

Abſceſſus per materiam aut coctione quadam febrili fiunt, aut ſine ulla febre genitrice, & ne febriculis quidem erraticis, etſi accedere ſymptomatico deinde modo febris poſſit. Non iam expoſitum digredimur febriles coctiones criſiumque ſpecies notiſſimas, imperfectas praeſertim, quarum propriae fere metaſtaſes non unius generis ſunt. Ut ſine coctione qualicunque & ſine ſecretione in ipſo abſceſſus loco ſpecifica, quin forſan & ipſis ſub haemorrhagiis, vix abſcedere aliquid poſſe videtur: ita ſuas coctiones abſceſſuumque ſpecies habent acutae febres, ſuas intermittentes, ſuas denique longae; nam phthiſes omnino, praeſertim occultae, nil ſunt, niſi coctionum diuturnarum periodiſque ab anni temporibus tempeſtatibuſque adſtrictarum, molimina quaedam in abſceſſus purulentos. Nihilo item ſecius abſceſſus per materiam, tacita veluti quadam coctione parantur, antequam locis excipiantur ſuis: quin ſi febris quaedam anteceſſerit, collectio materiae ſine ulla febre ſaepe fit,

ut experientia docet; dum in abſceſſibus ſuppuratoriis inflammatio febrem forte pariat. Leambio cuidam (*a*) HIPPOCRATICO, ſuppreſſa intempeſtive dyſenteria, *ſiniſterior humerus & ſedes exulcerabantur ſine febre*. Steatomata cyſticique tumores, ſcirrhi, tumores articulorum rheumatici, ſublinguales iſti batrachi, idque genus alii, ipſaeque oſſium caries, ſaepe vel ſine tantillis febriculae veſtigiis concipi obſervantur. Neque tamen ſine coctione quadam fieri iſta omnia poſſunt. Quicquid enim abſcedit, id tota ſubſtantia & ſpecifice planeque ad indolem loci neceſſe eſt mutari modo phyſico (*b*), qui pro phaenomeno eſt, explicari niſi per analogias quaſdam, nequit, quibuſcunque tandem vocibus attenuandi, ſubigendi, ſimilibuſque utare. Ut in ſecretionibus phyſiologicis ſpecificarum cauſſarum connubium quoddam & copulatio eſt: ita haud dubie, ſi quid experientia monere poteſt, in pathologicis.

§. VI.

(*a*) Epid. IV. 23. 8.

(*b*) Sic veteres inprimis TRALLIANUS *phyſica remedia* dicunt, de quorum modo agendi, ne ad hypotheſes quidem, dici quicquam poteſt.

§. VI.

Permagna est abscessuum per materiam varietas, ut adscribere classibus multitudinem non facile sit. Seorsim collocari primo possunt abscessus per fluxus sanguinis diversis viis. Obiter hic attingimus febriles illos, praesertim in acutis, tum ante vigorem febris, tum postea, vindiciarum naturae, praesertim a malignis, partem non postremam constituentes. Maturiores istos ad levanda praesentia symptomata alioqui commodos, dummodo liberales sint, permultis locis HIPPOCRATES verissime monet vix admittere spem criseos aequabilis perfectaeque per sudores (*a*) quin per urinas, quas saepius commemorat cum haemorrhagiis aquosas: nisi per modum recidivae utraque coctio successerit, aut quod saepe fit, superato morbo urina aliquandiu vel sine sudoris parili consortio cocta fluxerit (*b*). Inprimis a fluxibus sanguinis quarta circiter ab initio die (*c*) iure timet, praesagis quippe *diuturnitatis morbi*, *&* *crurum tumoris*, *&*

(*a*) Epid. I. 2. 210. 146. 118. & compluribus locis aliis.
(*b*) Epid. I. 2. 121. & aliis locis.
(*c*) Coac. I. 186. III. 433. Prorrhet. I. 18. 8.

diarrhoeae chronicae, id eſt, ſuccedentium vitiorum in viſceribus, chyli officinam componentibus. Menſtrua itidem morbi initio, afferente experientia, mala eſſe praecipit (*a*). Quibus adeo nominibus has haemorrhagias ἀκρίτους, *crudiores*, haud abs re appellat (*b*): per ſeriores viciſſim illas, quae poſt vigorem ſcilicet morbi, & vel diutule a ſuperato illo accedunt, multorum reſiduorum ſanatrices malorum, praeſertim difficultatis auditus poſt malignas febres diu ſuperſtitis (*c*), excerni πεπαινόμενα, *cocta* (*d*), monet. Tot aliae fluxuum ſanguinis formae ſpeciesque, per nares praeſertim, ſub adoleſcentia, & inde ſaepe a puerili aetate circa pubertatem (*e*), ad trigeſimum circiter annum uſque, quae quidem aetas & vindiciis his naturae ſub febribus acutis obſervatur accommodatior (*f*), ubi poſt illud tempus ceſſant, aut intercipiuntur aliae, quae pro privata corporis fabrica conſecutae ſunt, ut haemorrhoides: quantum habent pediſſequae turbae ex morborum tum acutorum tum chronicorum exercitu! Nihilo tamen ſecius haemorrha-

(*a*) Coac. III. 158.
(*b*) Epid. I. 3. 13.
(*c*) Aph. IV. 60. Coacar. II. 103.
(*d*) Prorrhet. I. 21. 9. & alibi.
(*e*) Aph. III. 29.
(*f*) Prognoſt. 22. 6. Coac. II. 231.

gias narium ; tacemus haemorrhoides ; tanta inter levamina, quae naturae praestant, vel sub aetate adhuc florente cum suspicione hypochondriacae valetudinis tanquam in herba iamiam nascentis coniunctas esse, ipso rerum usu discimus. Praeclare HIPPOCRATES (*a*) *quibus sanguis*, inquit, *naribus fluit, hi quidem videntur alioquin esse sani, habent autem aut splenem tumidum, aut capite dolent, & quaedam caliginosa, marmorum similia tractibus, oculis obversantur*. Accensemus his sanguinis fluxibus, tum ipsam dysenteriam, neque acutam neque longam nimis, multorum averuncam morborum, qui cum vitiis viscerum imi ventris coniuncti sunt (*b*), tum haemorrhoides, quae & viciniores vasorumque commerciis respondentes, & remotiores, qua data porta, per vias feruntur, sputa scilicet cruoris, atrabiliaria HIPPOCRATI (*c*) dicta; mictusque cruentos sine calculo, e vesica urinaria, urethra, & ex ipsis omnino renibus, qualem fluxum superiore anno in cadavere observavimus, & facillimus omnino iniecti in ar-

D 2

(*a*) Prorrhet. II. 4.
(*b*) Prorrh. II. 30. 13. Coac. III. 295.
(*c*) Prorrhet. II. 14.

terias renales olei terebinthinae, quin pigmenta tincti, ipsiusque cereae materiae per papillas urinales exitus, illustrat. Notabimus in certissimos usus, de sputis illis cruoris atrabiliariis, id est, quae cum sanguinis per vasa abdominis & pelvis turbato utcunque motu, variisque spasticis symptomatibus, coniuncta sunt, hodiernis quippe illis faucium pulmonumque haemorrhoidibus, monita HIPPOCRATICA (*a*): *inprimis evadere ex haemoptysi, quibus dolores sint atrabiliarii in dorso & pectore, & qui post eruptionem minus doleant. Si cuipiam* (*b*) *interdiu noctuve fauces saepe sanguine repleantur, nisi vitium quoddam in faucibus fuerit, attendendum esse, num capite antea doluerit, num pectore & dorso*: quae ex tribu esse symptomatum per consensum, sub luctaminibus haemorrhoidum satis constat. De doloribus atrabiliariis dorsi & pectoris bonam partem accipiendae sunt *lassitudines* istae, quas solvi verissime dixit, *si quis sanguinem minxerit: raro quidem & sine febre & dolore* (*c*): cum vicissim *iisdem sub doloribus suppressa mictio cruenta, perniciosa sit* ἐπιπόνως (*d*), inter scilicet &

(*a*) L. c. quo plura elegantissima.
(*b*) Prorrhet. II. 27.
(*c*) Prorrhet. II. 10. 4.
(*d*) Coac. II. 214.

eosdem & varios alios dolores, tum serius aliquando, tum celerius: Credibile est, plerosque sanguinis fluxus non detrahere saltem de copia, sed aliquid cocti, viis excretionum cruentarum omnino commodi & singillatim respondentis, simul exterminare. Admirabimur vel hoc nomine DIVINUM SENEM, vindice quotidiano rerum usu. *Melicerides*, ait (*a*), sive tumorum cysticorum quidquid est; quorsum & ranulas & ganglia referimus, *illis fieri, quibus in pueritia & iuventute sanguis naribus fluere solitus desierit: contingere eadem de caussa tumores articulorum non podagrico modo*, rheumaticos scilicet istos; *esse simul illis viscera magna & in urina sedimentum album; si musculos temporales levarint, dolorem ibi sentiri; sudores oboriri nocturnos; si neque sudores neque sedimenta urinarum talia fuerint, nasci meliceride istas. Interrogandos igitur de iuvenilibus narium haemorrhagiis, de puncturis in pectore & dorso, de doloribus alvi fortibus, sine exturbatione*, quae sunt colicae sic affectorum spasmodicae, *de haemorrhoidibus, & de capitis dolore, si quidem malus faciei color fuerit*. Alio memorabili loco (*b*) lienosos veriffi-

(*a*) Prorrhet. II. 22.
(*b*) Prorrhet. II. 42.

me pronunciat, *quibus gingivae putres sint & ora graveolentia*. *Quae si minus fuerint, ulcera difficilia esse in tibiis, aut nigras maculas, nisi sanguinis fluxus accesserint*. At satis de his ipsis.

§. VII.

Alteram classem abscessuum per materiam constituere possunt, qui purulentis oppositi, appellantur crudi, aut alicubi viscerum & membrorum in loculis quibusdam cavisque collecti, aut foras emissi. Indoles colliquamentis sua quidem singulis est, sed non sine discriminibus, a vario gradu maturitatis in sua specie, & a corporibus ipsis. Inde dispesci in ordines quosdam difficilius possunt: nisi serosos lymphaticos, mucosos, albuminosos, gelatinosos, gummosos, ichorodes, adiposos, aliosve, a similitudine quadam appellare placuerit. Quaedam ex his colliquamentis fluxilia permanent: alia in pulmenti quoddam instar spissescunt, alia ad duritiem, pro speciei indole, concipiendam, paulatim contendunt, ut scirrhi, metamorphoses osseae citra consuetiores naturae leges, calculosa coagula, nullibi non corporis inventa, biliaria, urinalia, & propinqua his cognatione arthritica. Singulorum natalibus specificum quoddam secretionis discrimen, & forsan periodicas caussas, inter

aliarum conſortia, ſubeſſe experientia non obſcure monet. Saepe in quibuſdam colliquamentis, ſuapte natura mollioribus vel liquidioribus, ſub deviis perturbatiſque ſecretionibus, coagula alterius generis ſunt. Sed abſceſſuum huiuſmodi exempla, praeter iam memorata, plurima occurrunt in catarrhis genitalium virilibus & muliebribus; in muco haemorrhoidali, quem vocant, per vias urinae & ſedis, quae ſunt HIPPOCRATICA iſta, permultis locis, *μυξώδεα* & *γονοειδῆ*, non raro in urina puris fallentia ſimulacro: in diarrhoeis non unius generis (*a*) in dyſenterica proluvie, in vomicis tuberculiſque crudis viſcerum, praeſertim pulmonis hepatiſque; in ſteatomatibus tumoribuſque cyſticis per membra & vaſa maiora inventis; in ranulis, gangliis, tumoribus quos iam notavimus, rheumaticis articulorum, tendinum, aponeuroſiumque. Quorſum referendae teſtium & vaſorum ſpermaticorum, quin & inguinum muliebrium quaedam affectiones, cirſoceles & ſarcoceles ſpecie, quin herniae verae bubonumque fallaci ſimilitudine, ſub quibus con-

(*a*) Conf. hic inprimis Prorrhet. II. Sect. 10. itemque 31. & 32., & *σύντηξιν* illam AETII, eliquationem per alvum diceres, frequenter ſatis, variis hodie nominibus obſervandam. Lib. V. c. 9. 1.

similis materia, post febres malignas aliasque, intermittentes inprimis, quin per lentas in corpore hypochondriaco origines, tum in vagina vasorum spermaticorum, tum in cellulofo eius vaginae & ligamentorum uteri vascularium involucro, processus peritonaei vocant, tum denique inter testiculorum tunicas colligitur. Verissime etiam metastases per materiam, post varias caussas, sunt cataractae & glaucomata, epiphorae serosae, ptyalismi tum febrium malignarum, tum affectuum quorundam chronicorum, cum vario labiorum palpebrarumque (*a*), praesertim inferioris, tumore; scirrhi varii externi internique, utrique saepe periodici; oedemata, hydropesque omnino ipsi: catarrhales denique faucium & narium affectus, aliaeque rariores metastasium huius generis formae.

§. VIII.

Non plane hoc loco reticenda sunt, quae toties in HIPPOCRATICIS leguntur, dignissimas notatu inter prognoses & diagnoses, *nigra* ista, per vomitum alvumque emissa, tum in acutis, tum chronicis. Ex plurimis in hanc sententiam

(*a*) Prorrhet. II. 42. 4. Conf. de lethargico palpebrae inferioris tumore. Coac. I. 192.

locis paucos; saltemque de chronicis, delibamus. *Pruriginosas molestias*, cutaneas istas non saltem, sed etiam genitalium, perinaei & sedis, *omnibus praesagire monet egestionem nigrorum & vomitum grumosum* (*a*). *Tremulas quasdam imbecillitates*, de quibus nonnunquam conqueruntur ex imo ventre hypochondriisque potissimum affecti, *cum morsu*, δηγμῷ, puncturis scilicet istis fugacibus per cutem, *& cum capitis dolore*, *significare nigras egestiones* (*b*). *Frigidos*, praesertim capitis manuumque *sudores esse*, *quibus nigra per alvum prodeunt* (*c*). *Doloribus humerorum*, rheumaticorum hodiernorum speciei, *si ad manus cum torpore sese porrexerint*, *non succedere abscessus*, *sed post vomitus nigros sanitatem; sin vero humeris circumscripti haeserint*, *vel ad dorsum progrediantur*, *tum quidem aut abscessum*, ordinarium scilicet quendam, carbunculumve, *aut atrae bilis vomitum sequi* (*d*). Ecquis hic diversos adeo fines perexiguo in discrimine ad doloris limitibus, non miretur, recordatus illius GALENICI, & haec *non de-*

(*a*) Coac. VI. 97.
(*b*) Coac. VI. 98.
(*c*) Coac. VI. 60.
(*d*) Prorrhet. II. 46.

monstrationi, *sed experientiae committenda esse* (*a*). Observantur omnino nigra ista sub morbis viscerum chyli officinam componentium, tum chronicis, tum acutis, inprimisque febribus malignis: alias quidem liquidiora & mucosa, alias grumosa & meconii infantilis specie, foetidissima universim. Parum nigris iisdem distant cinerea luridaque excrementa hypochondriacorum, adultiore inprimis morbo, de quibus verissime HIPPOCRATES (*b*); *alvo deiecta cum impetu*, *sublivida*, *& lotia tenuia atque aquosa*, *suspecta*. Haud dubie *lurida & nigra ista* colluviei cuidam degeneri non uno modo, ex bile liquidisque in intestina confluentibus debentur. Pluries in cadaveribus, non quidem penitus atramentosam, sed fuscam aliisque mutatam coloribus bilem cysticam, aut flaventiorem palidioremve hepatis substantiam, in ventriculo & frequentissime in duodeno, nigellum luridumque colliquamentum, consimilemque humorem e ductu pancreatico exprimendum, ipsa glandula aliquid subcinerei coloris habente, in ileo quam saepissime, raro, quod memorabile, in ieiuno, proluviem atramento similem dilutiori vel transparentem intestini tunicas, rarius paullo in colo, sed in recto quam

(*a*) Commentario III. in I. Epidemiorum HIPP.
(*b*) Prorrhet. I. 15. 1.

frequentissime, subnigri luridique muci copiam; vidimus, eademque in nupera bovum strage notavimus. Probabile dixeris, liquorum intestinalium non eandem omnino indolem, sed discrimina quaedam inquilina & perpetua esse, specificis ingestorum per singula intestina mutationibus destinatam, & in statu praeter naturam eosdem liquores non uno communique omnibus modo vitiari. Saltem ex dolorum istorum, aut in suppurationem, aut in evacuationem nigrorum eiusmodi transitu, non abs re conficere videmur, nigra eadem per quandam suae speciei metastasin generari, cui cum suppuratoria, suos inter limites, cognationis quid intercedat.

§. IX.

Tertiam ad classem abscessuum per materiam referri potest, quicquid est exanthematum affectuumque cutis, ad suppurationem non pervenientium, & cum febribus qualibuscunque & sine iisdem. Addimus omnia ecchymomata sive extra vasa effusa, qualia cadaverum testimonio, sunt petechiae, maculae, vibicesque varii in febribus tum malignis, tum phthisicis, tum quicquid ex hoc genere a scorbuto & rheumatismo nomen habet.

§. X.

Quartam constituent omnes abscessus purulenti, inde a variolis abscessibusque ex febribus acutis qualibuscunque, & qui per febrium lentarum diversos illos neque unius formae apparatus tandem concipiuntur, &, si quos natura cum febribus molitur paratque variis, ad istos, qui sine ulla febre nascuntur, saltem hanc deinde symptomaticam comitem habent. Permagna est horum abscessuum tum internorum, nullibi fere non viscerum, in cellulosis praesertim interstitiis, tum externorum; & frequentiorum & rariorum varietas. Omnes affectus cutanei cum suppuratione quadam, per omnes aetates, huc referendi: scabies ulcerosa, epiphora purulenta, gingivarum consimilia vitia, quae saepe in HIPPOCRATICIS *abscessuum ad gingivas* nomine veniunt, rara quaedam & fistulosa linguae ulcera (a) in lienosis & latenter phthisicis sine ulla caussa venerea, narium item & faucium, periodica nonnunquam, in iisdem corporibus, crurum aliorumque membrorum phagedaenica; carbunculi furunculique, paronychiae, vernali potissimum tempore

(a) Conferri meretur PETRI ROBINI de linguae ulcere observatio rara, apud HILDANUM Obs. Chirurg. Cent. IV. *Oppenhem.* 1619. p. 43.

complures quasi ex ordine digitos adortae, aliaeque abscessuum externorum formae, vel ex crudis, ut steatomatibus, subortarum; venerea denique ulcera, quae quidem non raro moram addere morbo observantur, uti per affectiones genitalium venereos, sub quibus nihil destillat, multo celerior in ulcera faucium & manifestam luem transitus esse solet. Accensendi suo iure sunt cancri & omnes huius generis exulcerationes, quibus omnino vitiosa quaedam & putredinosa speciei perpetuae suppuratio est, & ipsa trahendae miserae vitae saepe inserviens, testibus praeter HIPPOCRATICA (*a*) quaedam, exemplis non infrequentibus. Neque tandem non addendi abscessus purulenti in ipsis ossibus, & cariei ossium complures species ex caussis internis, quin variis cum exostosibus, inque ossibus narium sub polypo quodam iam tum saepe delitescente.

§. XI.

Necroses istas, gangraenas scilicet sphacelosque, tum mollium partium, tum ossearum in nonnullis cariei speciebus, sive adscribere abscess-

(*a*) Epid. IV. 36. & quod idem esse videtur Epid. VII. 50. eundem arguens utriusque libri auctorem, qui & *quintum illum* & *de morbo sacro* se scripsisse testatur *libro de mania*.

ſibus per materiam; ſive nervoſis, ſive denique claſſem quandam mediam compoſitamque eſſe quis voluerit, facile obſequimur; ſufficere rati, has necroſes quam ſaepiſſime abſceſſuum veriſſimum inſtar eſſe, & ſine febre genitrice, & febre quadam, auctore vel comite, praeſertim maligna, exanthematicave. Gangrenam inprimis notamus duplicem, alteram vulgatiorem illam, alteram paullo rariorem, *ſiccam* nonnullis dictam; quae quidem HIPPOCRATICA iſta eſt (*a*) *σηπεδὼν σαπρὴ καὶ ξηρὴ*, *marcida & arida putredo*, a ſimilitudine, quam membri aſpectus exhibet, nihilo quidem minus acuta. Aut paullatim collectis cauſſis cum febricula quadam ex malignarum cenſu ſeſe effert, qualis fuit, ne alia exempla huc transferamus, illa SAVIARDO (*b*) deſcripta; aut malignas febres conſequitur. Initia fere ſunt ex vehementiſſimo, acutiſſimo, & lancinante, partis iamiam laboraturae dolore, quem interdum aeſtus cuiuſdam ſenſus prurituſque ibidem antecedit. Dolores iſtos protinus excipit necroſis, aut frequenter ex rubellis in cute maculis, mox flavis lividiſve, aliquando ſine his: ceterum tumore vix modico, veſiculis nullis, pallore ſaltem ſingulari & quaſi cadaveroſo cutis nonnihil

(*a*) Epid. V. I.
(*b*) *Recueil d' Obſervations Chirurgicales*. Obſ. 16.

rugosae marcidaeque. Incisa parte flaccescentem fungum incisum crederes: vix gutta cruoris exit, sed decolor quoddam colliquamentum, idque spumosum, & quasi flatuosum. Commitantur febris parva, deliria leviuscula, stupida, lacrymosi oculi, aliaque; sequiturque mors inter spasmorum non unam formam.

§. XII.

Attingendum est alterum summum genus abscessuum ad nervos. Sub his si quid phaenomena docent, affici vix motrix animalis late dicta, turbarique videntur rationes, secundum quas diditam & dispensatam in singulas partes CREATOR voluit. In vivo scilicet corpore praeter gangraenae exemplum, vix alicubi locorum penitus aufertur, cum vel in paralysi gravissima sensus motusque non parili modo laedantur. Non licet hic extra oleas procedere, ripasve experiri, quibus non bene creditur: succurrit, quod legere meminimus in oratione quadam I. A. TURRETTINI (a):

Quisquis fateri nil potest incognitum,
Falso necesse est placet ignorantiam,

(a) De scientiarum vanitate & praestantia, Genev. 1706. pag. 31.

Umbrasque inanes captet inter nubila;
Imaginosae adulter Ixion deae:
Magis quiescet, minus errabit animus,
Contentus eruditione parabili,
Nec quaeret illam, si qua quaerentem fugit!

Et in illa fibris insita vi, quam adventitiae per nervos subsidiari non abs re GLISSONIUS credidit, & in adventitia ipsa affligitur tum motrix strictius dicta, tum nuncupata ministeriis facultatum operationumque animae. Ista quidem, tum in tot atoniis ad paralyses usque, tum vicissim in amplissima illa spasmorum classe, cui dolores addicimus, quos non semper tribuendos stimulis foris lacessentibus & extendentibus, sed vero cuipiam spasmo ex inquilina caussa, quae toties aliunde allata, modo specifico & plane stupendo, sese loco affecto tantisper continet, „monere phaenomena possunt. Cognoscens appetensque facultas, ipsaeque operationes animae, laeduntur sub tot vitiis facultatum specialium utriusque provinciae, inque spatiosissimo ambitu deliriorum, non saltem per vigilias, sed per ipsa insomnia, ut cum PITCARNIO (*a*) somnium vigilantis dici delirium non possit. In votis est psychologia pathologica, inprimisque deliriorum, haud facilis,

(*a*) Element. Medic., Physic., Mathemat. Defin. 42.

lis, nisi lucerna EPICTETI & funale & oleum ex *ἰητρείῳ* HIPPOCRATIS petierit. Praeclare AETIUS (*a*) discernit vitia τῦ αἰσθητικῦ, τῦ φανταστικῦ, τῦ μνημονευτικῦ, τῦ λογιστικῦ; verissimeque ARETAEUS (*b*) *phreniticos*, ait, *ipsis sensibus magnam partem laedi, videntes, quae praesentia non sunt: maniacos autem videre quae oportet, sed non statuere, ut statuendum est*. Id est, phreniticos, docente experientia, omnibus mentis operationibus, maniacos in secunda saltem, & tertia delirare.

§. XIII.

Non licet per temporis institutique rationem in tanta apostasium ad nervos multitudine quae priorem illam abscessuum per materiam classem plurimum superat, ad recensendas singulas digredi: exemplorum feracissimi sunt potissimum morbi viscerum imi ventris, tum chronici, tum acuti, inque his febres inprimis malignae. Apostases scilicet hae, & solitariae, & cum abscessibus per materiam coniunctae, magnam absol-

(*a*) Libro VI. passim.
(*b*) De caussis & signis diuturnor. Libr. I. cap. VI.

vunt partem ἀποσκήψιων iſtarum, ut DIVINUS SENEX appellat, tralatitios decubitus diceres, tum ſubitanearum, tum lentiorum, quas (a) *in atrabiliariis affectionibus*, omnibus quippe cum vitio quodam viſcerum chyli officinam componentium utcunque coniunctis, *periculoſas*, iure ait, *atque aut ſiderationem alicubi corporis*, *aut ſpaſmodes quiddam*, *aut inſaniam*, qua quidem animi praeter naturam mutationes omnes, recte complectimur, *caecitatemve portendere*. Addimus huic apoſtaſium generi ſitus quaſdam mutationes in mollibus duriſque partibus corporis, cauſſis internis ex illo fonte ſaepe tribuendos, luxationes ſcilicet lentas, herniaſque, teſte praeter HIPPOCRATICA exempla & praecepta, ipſo rerum uſu. Addimus emphyſemata iſta ſingularia, ſubitanea quidem plerumque & brevi diſparentia, tum per univerſum corpus, tum alicubi partium externarum, in febribus potiſſimum malignis, puerperarum etiam, inque chronicis viſcerum imi ventris morbis aliquando obſervanda. Eius generis ſunt in febribus nonnullis acutis, *tumores* iſti *ſomnolenti*, quos HIPPOCRATES appellat (b): tumores labiorum, potiſſimum ſuperioris, in malignis quibuſdam febribus, &

(a) Aph. VII. 56.
(b) Coacar. I. 88.

atrabiliariis affectibus ; exemplumque memorabile illius (*a*): qui post infimum ventrem diutius πονηρευομένην. (*b*), ut HIPPOCRATICA voce utamur, inter varia spastica symptomata, *inflatus oris putredinem viridem* deinde expertus est. Latent denique in varicibus & aneurysmatibus veris haud dubie propiores ab hoc genere caussae, ac obtutu primo videntur : si vel metastases ad varices ex insania (*c*), ex voce praeter morem acuta raucave (*d*), solutosque varicibus gibbos (*e*) aestimamus. Vidimus ischiade erratica aliquamdiu laborantem, cui statim ac minueretur quiesceretve dolor, & cirsocele levis & varices veri in metatarsis, aliquando & metacarpis suborti aderant, dum coxendicis pristinus dolor rediret. Dolores capitis hystericos & hypochondriacos, cum paroxysmi declinant, venarum subcutanearum singularis expansio in manibus pedibusque vulgo consequitur. Consimilia commercia ipsorum ani uterique prolapsuum cum rheumaticis, quos vocant, artuum doloribus, pluries observavimus.

(*a*) Prorrhet. I. 13. 4.
(*b*) Coacar. VI. 108. & pluries ibidem.
(*c*) Aph. VI. 21. Epid. II. 5. 40.
(*d*) Epid. II. 5. 4.
(*e*) De articulis 37. 3.

§. XIV.

Notatu ceterum digniſſima in uſum clinicum admiranda illa commercia metaſtaſium per materiam, & ad nervos, neque ſingularia ſaltem ſunt; privatiſve corporum diſcriminibus tribuenda, ſed ſpeciei morbi tenaciora eoque nomine magis perpetua. Quicquid in morbis obſervatur ſucceſſionem ſymptomatumque, referri ad alterutram claſſem, vel ex utraque compoſitam, poteſt. Tranſeunt metaſtaſes per materiam in alias ad nervos: hae ipſae in alias ſuae ſpeciei, ut ſpaſmi in mentis varias imbecillitates & affectus contrarios, atque ſic viciſſim: quodque memorabile, poſt varias viciſſitudines, tandem omnes & ſingulae in abſceſſus ſuppuratorios conſpirant. Haec eſt meta ultima vindiciarum ad quas natura contendit; ut vel in hanc ſententiam veriſſimum obſervetur HIPPOCRATICUM illud: *πᾶν τὸ ἐκπύϊον, ἀνυπόστροφον, quicquid ſuppuratione exhauritur, non revertitur* (*a*). Inprimis metaſtaſes ad nervos id habent, ut metaſtaſin quandam per materiam, & ſaepe poſt harum vices ſucceſſioneſque poſtremam omnium, per abſceſſum purulentum, affectent, atque huius quaſi prodromi, non ſaltem propius, ſed eminus, ut

(*a*) Epid. VI. 3.

ſaepe ne ſuſpicio quidem cognationis ſit, poſt varias periodos, alias temporibus anni adſtrictae, alias erraticae eſſe ſoleant.

§. XV.

Multum omnino intereſt in praxi Medica ad commercia metaſtaſium utriuſque generis attendere, quae quidem ad prognoſin permagni momenti ſunt. Quin haec ipſa levidenſia, quae propoſuimus, permultis locis HIPPOCRATIS addere lucis nonnihil poſſunt: cuius in corrigendis & illuſtrandis ad neceſſarium uſum veriſſimis praeſagiis pluteo ut ſubveniat aegri lectulus, utinam communibus Medicorum aut trivialium ſtudiis, neceſſe inprimis eſt. Quem non ultro commonefaciunt toties ab HIPPOCRATE memorata ſpaſtica ſymptomata poſt criſes in acutis imperfectas: iſchiades iſtae, oculorum & aurium vitia, mentis errores, aliaque eiuſmodi, viciſſim per haemorrhagias varias, diarrhoeas, ſuppurationes aliaſque vias ſolvenda? Ecquis in chronicis ex imo potiſſimum ventre morbis tot metaſtaſium utriuſque generis haud miratur commercia, a DIVINO SENE iam tradita? Ecquis ſic laborantem iam moroſum, iam in lacrymas facilem, curis affectibuſque ſola corporea de cauſſa agitatum, iam hilarem, & de ſcrobe & pol-

linctoribus viciſſim ſollicitum, ſputantem; pervigilem inter crebras urinas limpidas, dentibus & gingivis afflictum, deiectiones alvi ſpaſticas luridas, ſpumoſas, ſubcrudas, liquidas, duraſque viciſſim, & aſcaridodea iſta, id eſt ſerpigines genitalium & pruritus ſedis vicinorumque, puncturas fugaces per cutem, aliaſque metaſtaſium materialium per exteriorum & interiorum vices experiri ſolitum, HIPPOCRATICIS admonitus non obſervat, & iſta intelligere, viciſſim diſcit? Etiamnum phthiſicis deſperatis poſt *ſuppreſſa*, ut fit, *ſputa*, *ſunt nugatoria deliria*: ſed cur haec inprimis, neque alia & forte phrenitica (*a*)? Etiamnum illo tempore *oborta ſurditas*, *cruentam egeſtionem praeſagit & circa mortem nigra deiiciuntur* (*b*). Quae ne plurima alia attingamus, *ſecundo Prorrheticorum*, de multis morborum chronicorum metaſtaſibus, praeſertim poſt varias vices, ad abſceſſus tandem purulentos, leguntur, ſtudioſior experientia abunde vindicabit. Sed ſubſiſtendum hic eſt.

(*a*) Coacar. III. 259.
(*b*) Coac. III. 230.

IOAN. GOTTOFR. BRENDELII

PROFESS, QUONDAM MEDICI IN ACAD. GEORGIA AUGUSTA CELEBERRIMI

DISSERTATIO

DE

COGNATIONE PARAPHRENITIDIS ET FEBRIUM MALIGNARUM

RESPOND.

GEORGIO CHRISTIANO BIEDERMANN

BRESA-LUNEBURGENSI.

GOTTINGAE

D. 3. Octobr. 1752.

§. I.

Paraphrenitidis nomine intellectam cupimus febrem acutam, phrenitide vera diuturniorem, cum delirio essentiali, sed phrenitico mitiori & sympathico, ex inflammato quodam viscere abdominis, inprimis hepate: cumque symptomati-

bus febrium malignarum, ipsis etiam exanthematibus. Essentiale delirium est, quod morbum inde ab initio comitatur, etsi ineunte illo leve, fugax distinctum intervallis, quin per insomnia saltem, esse possit. Malignas febres dici pervulgatum, quae a parvis mitibusque exordiis, nil adhuc sinistri minantibus, tanquam ex insidiis, dierum aliquot spatio, ad pessima cum vitae periculo symptomata procedunt.

§. II.

Ipsa declarat vox paraphrenitidis, instar quoddam phrenitidis in illo morbo esse. Rarius id nominis apud vetustiores, res autem ipsa quam frequentissime legitur. HIPPOCRATICI libri, ut febres illas pectoris inflammatorias, re ipsa quidem inter se plerumque complicatas, promiscuis nominibus pleuritidis, peripneumoniae, erysipelatis pulmonis, appellant: sic amplissimo phrenitidis ambitu & paraphrenitidem complectuntur. In praesagiis signisque phrenitidis, amplissimo numero passim occurrentibus, inprimis in historiis phreniticorum (a), non saltem paraphrenitides compliures deprehendet, quisquis observandis aegris paullo studiosius operam dedit: sed in iis-

(a) Lib. I. & III. epidemicr.

dem, & alibi locorum; animadvertet innumera, quae malignis, quas vocamus, febribus ita reſpondent, ut ovum ovo ſimilius eſſe nequeat. Ita ſcilicet deliria iſta cum acuta febre taciturna, obſcura, *ἀσαφῆ*, nonnihil ſoporis habentia, quaeque, ut ait, *melancholico modo* contingunt, & paraphrenitidum ſive febrium malignarum eſſe ſolent, non uno loco *valde phrenitica* dicit eſſe, atque alibi, *ferina* viciſſim appellat. Sequiores HIPPOCRATE medicinae antiſtites, phrenitidem, conſenſu ex abdomine hypochondriiſque potiſſimum enatam, diſcernere a primaria, ex cerebri inflammatione, coeperunt. Primus GALENUS (*a*) produci deliria dixit, *quae a phrenitide non multum diſtent*, inflammato diaphragmate: quod quidem deinceps accuſari ab omnibus ita coepit, ut ſardonium iſtum riſum, perpetuum paraphrenitidi comitem aſſertum vellent. At ſaepe paraphrenitis, ſaepe ipſa phrenitis vera ſine ullo eiuſmodi ſpaſmo decurrit: nec liquet, unde potiſſimum diaphragmati ab inflammatione timeri potuerit; niſi coniectura quadam ex praecordiis dolentibus, plerumque etiam aeſtuantibus, aut introrſum revulſis. Neque ipſe GALENUS viſam a ſe diaphragmatis iſtam inflammationem ullibi teſtatur: neque in cadaveribus, praeterquam hepatis, parte potiſ-

(*a*) De locis affectis V. 4.

ſimum concava, inflammationes, itemque vicinorum viſcerum, obſervari ſolent: niſi quum ſorte pleuritis, aut viciſſim viſcerum epigaſtrii quaedam inflammatio: tot per vaſorum commercia, in ſocietatem diaphragma adduxerit. Reſpiratio phreniticorum & paraphreniticorum, peripneumonicae ſimilis, cumque anhelitu coniuncta, argumenti idonei nihil praebet: quum uſu rerum exploratum ſit, omnes & phreniticos & paraphreniticos, peripneumonia quadam ſymptomatica, frequentiſſima illa febrium omnium acutarum comite, implicari. ARETAEUS (*a*) phrenitidem e praecordiis ab altera illa, quam a capite dicit oboriri, liquido diſcernit. AEGINETA (*b*) primus omnium ſeiuncto uſus nomine, delirium cum febre acuta, conſenſu ex hypochondriis natum, phrenitidem eſſe negat, ſaltemque *paraphroſynen*: procul dubio, ob deliria non furioſa, niſi ad phrenitidem ſymptomaticam res pervenerit. TRALLIANUS (*c*) breviter ſed eleganter deſcriptam, phrenitidem notham appellat, eiuſque perpetuum comitem agrypnocoma eſſe adiicit. Mentionem item facit χρονισάντων ἤδη φρενιτικῶν, quorum ſcilicet morbus excedat

(*a*) De curat. acutor. Lib. I. cap. 1.
(*b*) Lib. III. cap. 6.
(*c*) Lib. I. cap. 13.

limites acutioris febris; phrenitidis verae proprios: qui quidem a paraphreniticis, re probe pensitata, vix differunt. Infra enim addemus, acutarum omnium longissimas esse paraphrenitides, ultraque vicesimum diem frequenter produci, imo mensis finem assequi: quod quidem de malignis, solitariis quidem istis sporadicisque, privato corporis vitio obortis, neque epidemica de caussa, itidem observamus. Agrypnocoma, quod in phrenitide notha esse TRALLIANUS ait, istud mali ominis symptoma, quum aegri somni fatua specie vigilant, & delirant, idemque febribus malignis, consensu omnium, ipsique pestilentiae verae frequentissimum, omnis quidem inde a GALENO (*a*) antiquitas, etsi nominibus variis, ad phrenitidem retulit. Verissime in hanc sententiam AETIUS (*b*) febrem ex inflammatione circa hepar *typhoden* dixit, sive cum somniculoso stupore coniunctam.

§. III.

Malignitatis vox perantiqua est. Quisquis auctor est GALENICI definitionum libri, malignum morbum recte dixit, *magnum gravemque*

(*a*) De comate cap. 13.
(*b*) Lib. V. cap. 88.

potestate, specie levem; & qui certa criseos tempora non habeat. HIPPOCRATICUM illud κακόηθες creberrime legitur, tum de symptomate quodam, tum de morbo, maxime de febre, usurpatum; ut quum febres ex *praecordiorum doloribus* malignas appellat (*a*). Raro GALENUS, nisi quibus locis commentatur in HIPPOCRATEM hac voce utitur: raro Graeci sequiores. Frequentius hi cum GALENO febribus malignis a symptomate quodam urgente nomina imponunt: dicuntque *typhodes* a sopore; *asodes* ab anxietate quadam cum nausea & vomendi perpetuo conatu coniuncta; *alysmodes* ab anxietate cum assidua inquiete & iactatione; *helodes* a sudore profuso, maxime circa superiora; *pemphigodes*, si pustulis aphthisque fauces inprimis afflictae fuerint; *hepialas* (*b*) & *leipyrias* a febre miti & parva: a fallaci specie intermissionis vel remissionis, itidem *leipyrias* malignarum scilicet intermittentium exempla, auctoribus fide dignissimis,

---

(*a*) Prorrhet. I. 7. Coacar. I. 48.

(*b*) In HIPPOCRATICIS libris interdum omnes febres parvae & chronicae dicuntur hepialae, & leipyriae intermittentes, *ut de Aere, Aquis, & Locis* 4. *de crisib.* 4. *de superfoet.* 24. Praeter febrem heloden & asoden & pemphigodes iam occurrit *Epidemior. VI.* 1. de qua GALENI copiosus commentarius in hunc locum est. Hepialae vocem eleganter illustrat AEGINETA *L. II.* 25.

exſtant plurima : ab exacerbationibus erraticis, παλιμβόλυς ; a gravioribus denique per alternos dies exacerbationibus cum algoribus variis, *hemitritaeos*.

§. IV.

Initia febrium malignarum & paraphrenitidum, ſunt utraque ſubdola & inſidiarum plena. Inter laſſitudinem quandam inſolitam moroſiores paullo ſunt, quibus morbus imminet : aliis deiectior animus eſt, aliis paullo iracundior ; omnes de inſolito quodam & obſcuro per praecordia doloris ſenſu conqueruntur. Capite gravati ſibi videntur, caliginoſi, & catarrho quodam laboraturi : ſomni breves ſunt, neque reficiunt, ſub deliris inſomniis crebro excuſſi ; aliis viciſſim profundior ſomnus eſt, qui tamen non recreat, ſed expergefactos torpidos dimittit. His per unum alterumque diem prodromis, horrores incidunt leviuſculi, fugaces, crebri, ex dorſo potiſſimum & lumbis oborti, ſummamque ſaltem cutem perſtringentes: qui quidem affuturae febris ipſa exordia ſunt. Addit ſeſe interdum algor aliquis paullo vehementior, & aliquando rigor uterque omine non bono. Qui ſuccedit utriſque calor, mitis eſt, horroribus viciſſim diſtinctus, plerumque naturali perſimilis : aut ſi quando paullo vehe-

mentior fuerit, horroribus tamen & ipse coniungitur, neque, ut aliis in acutis, frigoris modo respondet. Pulsus frequentia a naturali non multum discedit: aut si frequentior est, debilitas illi quaedam coniuncta observatur. Dolent capite, collo, dorso, lumbis, artubus: nonnulli de singulari quodam surarum manuumque & pedum dolore querimonias addunt. Torpidiores sunt, somnique capiendi ineluctabilis cupido quibusdam est, qui brevis tamen, fugax, cumque deliriis simulacris esse solet, & pavoribus interpellatur. Levissima quaedam & vix observanda, nisi quis probe attendat, oblivionis vestigia sese produnt, non sine leviusculis & fugacibus inter ipsas vigilias deliriis, unde cito ad se redire videntur. Naribus gravedinis modicus sensus est, serosi quid subinde stillat, interdum paucae raraeque sanguinis guttae prodeunt, oculi nonnihil lacrymantur, tristiorem adspectum offerunt, difficilior auditus est, auriumque vicissim per intervalla subobscurus sonitus: nonnulli crebrius sternutant. Plerisque facies iam tum sui dissimilis plusculum est, decolor, aliquando non sine leviusculi icteri, praesertim per oculos, notis, & modico quodam, sed singulari palpebrae potissimum inferioris tumore, utique si paullo plus soporis adsit. Lingua ab ipsis protinus initiis, phreniticorum instar, aut alba & siccior est,

aut apice lateribusque munda quidem, sed rubicundior, dorso nihilominus alba & sicca, quin, si praecipitius futurum malum est, iam subflava. In pharynge, musculis item colli singularis sensus est leviusculi & fugitivi spasmi, interdum titillationis cuiusdam, alteriusve insoliti stimuli, paulloque inde frequentior screatus. Spirandi perlevis difficultas, tussicula rara & modica inter crebriores oscitationes & suspiria, dolor in pectore nonnihil gravativus, interdum etiam paullo acutior. Sed paullo gravius praecordia dolent, intenta sunt, aestuant, pulsant, potissimum infra cartilaginem xiphoiden: ipsi aegri immodicum se ibi locorum calorem pulsumque percipere, & anxietatem quandam, conqueruntur, non sine crebra nausea, praesertim ad levem corporis capitisque motum, unde ad vomitum persaepe res pervenit; alii vicissim, peius habituri, perpetim vomituriunt. Alvus rarius sicca deiicit, frequentius stercoraria, pauca, valde biliosa, vicissim albicantia, male mixta, alienos colores habentia, atque universim cum levi tenesmo. Urina non sine ardoris vel levissimo sensu mittitur, aut rubra & turbida, aut splenica, aut iumentorum similis, aut ignea & perspicua cum enaeoremate quodam, fatuo & insidioso coctionis tum nondum exspectandae simulacro. Sudores adsunt fugitivi, parvi, gelidiusculi, rur-

ſus per brevi tempore ſubaeſtuoſi, horroribus diſtincti: ceterum iam tum largiores capillitio, facie, collo dorſoque.

§. V.

Febrem ipſam in principio, diximus languidam, ut interdum vix percipi poſſit, & accedere poſtea credatur, niſi lingua latentium inſidiarum index foret, febremque iam tum inſtrui, ſed levem ac parvam, utque HIPPOCRATES (*a*) de' phreniticis dixit, *ad contactum non adurentem*, teſtaretur. Difficilius inde eſſet, de principio illius conſtituere, niſi ad horrores algoresve, quum primum incidunt, attenderis. Algor namque aliquis, qualiſcunque fuerit, rigor an horror, febrium ipſa initia conſtituit omnium, quod non uno loco veriſſime iam HIPPOCRATES (*b*) monuit: idemque, quum praeter exordium primae exacerbationis redit in febribus continuis, ſemper aliquid non levis momenti deſignare ſolet. Iuſſit HIPPOCRATES (*c*) pleuritidis initia inde ab illo tempore computare, *quum pri-*

(*a*) Coacar. I. 137.
(*b*) De morbis I. 22. I. 4. veteri Med. 29. De victu in acut. 42.
(*c*) Coacar. III. 202.

primum rigor corripuit : nos fide non dubia , febrium harum , clanculum obrepentium , initia , his ipſis horroribus , quum primum incidunt , deſcribemus . Iidem horrores , quum ſine lege per tres quatuorve ab initio dies impetere ſoleant, erraticae febris conciliare ſuſpicionem poſſent : ſed probe obſervabimus nocturnas exacerbationes, protinus affuturas , & vel e ſymptomatibus , quae illo tempore ingraveſcunt , non obſcure colligendas . Scilicet & hic , HIPPOCRATICO (*a*) dictamine , *noctes plus quam dies delirii ſignificationem praebent :* addamus & aliorum ſymptomatum , quae modo enumeravimus . A tertio quartove die exacerbationes iſtae quotidianae , omnibus caeteroquin acutis communes , citioribus ſemper exordiis , luculentius obſervantur , neque raro vehementiores alternis diebus . Perſaepe haec ipſa initia ultro nos admonebunt alterius HIPPOCRATICI (*b*) : *qui melius habuerunt , ſi poſtridie exacerbentur , malum eſt . Tertia die remiſſius habentes , quarta exacerbati , malum . Num & phreniticae tales exacerbationes ſunt?* Tranſlatas namque febres in pares dies , non immerito cum HIPPOCRATE timemus , vel noſtro ſub caelo :

(*a*) De victu acutor. 50.
(*b*) Coacar. I. 193.

cui tot alia respondere videmus HIPPOCRATICA, etsi nonnulla iustos a caeli corporumque & victus discrimine limites recipiant. Solet ceterum per harum febrium initia singularis plane quaedam pulsus tarditas aliquando observari, utique, quum aegri plusculum soporosi sunt: neque saltem aetate senili, sed virili etiam, quin iuvenili. Quo tempore exacerbationes febris exspectari poterant, maior adhuc pulsuum tarditas est, atque sub remissionibus a naturae modulo propius hi absunt: ut exacerbationes non accelerato, sed tardante magis magisque pulsu videantur absolvi. Raro autem haec memorabilis pulsuum tarditas ad incrementum usque febris procedit. Nonnullis per complures dies inaequalis & intermittens, languidusque simul, atque universim varius pulsus est, ut febriculis vagis, quarum aliae aliis inter horrores succedant, implicacari videantur: nocturnae tamen exacerbationes inter hos ipsos erraticos motus omnino elucescunt.

§. VI.

Inde vero a quarto circiter die, uti febris quotidianam remittentem clarius exhibet, cuius exacerbationes vespertinae magis magisque antevertunt initia pristinarum, nihilo secius alternis diebus vehementiores: ita reliqua ingravescunt

ſymptomata. Qui per initia fuerat ſopor, iam fere mutatur vigiliis perpetuis. Deliria ante paullo obſcuriora, manifeſtiora iam ſunt; non tamen phrenitica, ſed qualia HIPPOCRATES, *atrabilario modo in acutis fieri*, paſſim dixit: taciturna ſcilicet, vel cum labiorum motu, loquentium inſtar, vel quaſi obſuſurrarent aliquid, dum manus aut errant per ſtragula, aut feruntur ante faciem, oculis intentis & quaſi ſtudioſe aliquid adſpicientibus. Interrogati, aut oblivionem quandam, aut levatis oculis cum audaciori adſpectu, deliria fugacia circa res conſuetas neceſſariaſve, obſcure produnt (*a*). Per intervalla ad ſeſe redeunt, deque dolore capitis & praecordiorum conqueſti, vel illo adhuc tempore, ad levem membri alicuius motum, horrorem ſe perſentiſcere aiunt, iactationes inter anxietateſque: oblata quaevis non ſine nauſea accipiunt, vomituriunt, & frequenter non ingeſta ſaltem, ſed vel ultro, colluviem quandam ex lurida plerumque ſubviridem, aliquando & lumbricos, vomitu reddunt, cumque forte mens adhuc nonnihil conſtat, levari ſe vomitu dicunt. Oculi paullatim lucem refugiunt, triſtiores & ſordidi adſpectu, angulis ſebacea materies colligitur, ſponte per-

(*a*) Coacar. I. 141.

petimque lacrymantur, interdumque in genas gutta defluit. Aliis paullulum flavescit oculorum albugo, & nonnihil inflammata apparet: nonnunquam in alterutro subcruentum ecchymoma, circumscriptumque, maculae ad instar cruentae, suboritur, neque raro subitaneis, uniusque noctis initiis. Naribus adhuc serosi humoris quid sese effert, vel parvae paucaeque sanguinis guttae stillant, aut vestigia saltem quaedam cruoris observantur. Nonnunquam a tertio quartove die, quin aliquando citius, ex alterutra nare, tenui placidoque & lenissimo rivulo, iugi tamen, cruor liquidus manat, fugitiva quidem inter, non sine stupore, deliria, sudoremque circa superiora & extrema modicum & gelidiusculum, levissimas denique & subobscuras in oculis flavedinis cuiusdam notas. His timeri fere potest de erupturis maculis, quas a petechiis discernendas infra attingemus. Aures obsurdescunt, vicissim unoque & altero die post auditus redditur acutissimus, praesertim sub exacerbationibus febris, ut vel ad minimum strepitum, pervigiles taciteque delirantes attendant. Aliis cum ipso morbi vel incremento vel vigore singularis aliquis stupor accedit, plane simillimus catocho AETII (a), cuius descriptionem cum experientia afferat, huc trans-

(a) Lib. VI. cap. 4. ed. Alt.

ferre omnino e re videtur. *Medium quendam*, inquit ille, *inter phrenitidem & lethargum invenies affectum, qui species est delirii vel disipientiae; vocare Medici consueverunt catochen & catalepsin. Oboritur ex humore atrabilario: gravior lethargo est, febribusque accedit, quae lethargi simile quid habent. Interdum dormire videntur aegri, interdum apertis iacent palpebris, interdum conniventibus, interdum levatis oculis intentisve aliquid intuentur, & veluti fixas palpebras oculosque habent & immobiles; aliquando nictant, vel si quis manu obversatus illorum oculis non fuerit: sine voce & sensu videntur esse, neque audiunt, neque respondent, manus autem nonnunquam ad caput oculosque & nares attollunt, quasi scalpturi, sed nulla cum perceptione. Pulsus parvi sunt, tardi, torpidique, interdum nonnihil intercepti: respiratio modo crebra, modo rara, & per intervalla quaedam, magna & profunda. Alvus & urina cohibentur, non prae siccitate, sed quia non sentiunt. Canthis oculorum lemae subsiccae firmius adhaerent. Aliquando aegri se proximo parieti admovent: utque paucis dicamus, neque phreniticis omnino similes sunt, neque lethargicis.* Addamus etiam, qui sic afficiuntur, his frigidiuscula membra esse, cutem plerumque aridam & siccam, sudorem vix ullum, nisi circa superiora leviusculum & fugitivum quendam ma-

dorem, faciem fubtumidam fublividamve, ut bene AEGINETA (*a*) animadvertit; nonnullis etiam faliva os abundare, & aliquando vomitum faburrae luridae fubfequi, a quo paullulum levati, fuique plufculum memores videntur: ceterum diutius paullo aegrotare, ac fere fimul vermibus inteftinorum laborare. Sunt hi procul dubio, quos *in phreniticis affectibus cum perfrigeratione falivam fundentes, vomitum nigrum indicare* HIPPOCRATES (*b*) ait: is enim falivae fluxus a fcreationibus & fputationibus phreniticorum acutius febrientium, plurimum differt. Non omnino refragabimur, fi quis hunc ftuporem ad agrypnocoma retulerit: nam & AEGINETA hoc illi cognomen addidit. Docet enim experientia, pro modo atque acumine febris, & agrypnocomatis effe difcrimina. Sed nihil attinet, ut quantum diftet catalepfis vera, rariffimus affectus, atque huc plane non referendus, quem & AEGINETA (*c*) brevi fed luculenta defcriptione ab hoc agrypnocomatis genere difcernit, hoc loco exponamus.

(*a*) Lib. III. cap. 10.
(*b*) Coacar. I. 147.
(*c*) Lib. III. cap. 10.

§. VII.

Sed e diverticulo in viam redeamus. Quae initio alba & ſicca lingua erat, plerumque apice iam rubicundior & ſicca nihilominus apparet (*a*): dentibus adhaerent viſcoſa, & reſiccari gingivae videntur. Quibus mentis adhuc vel tantilla integritas eſt, de quodam in pharynge & larynge conſtrictionis ſtimulive ſenſu, & rogati & ultro conqueruntur, ſine ullo in faucibus colloque cauſſae veſtigio. Hoc ſenſu meri cuiuſdam ſpaſmi, deliriorum indice & comite, credibile eſt aegrotos impelli ad frequentes iſtas ſcreationes, ſputationeſque exigui atque lenti humoris, *ſputa rotunda* HIPPOCRATES paſſim vocat, phreniticis & paraphreniticis perſaepe communia. Perlevis enim, atque ad anginam veram nunquam perventura faucium inflammatio, quae accedere poteſt, cum his ſpaſmis ſtimuliſve commune nihil habet. Sed frequentiſſime ſociam ſe addit peripneumonia ſymptomatica, cui quidem reſpiratio illa difficilior paullo & anhela, cum tuſſicula coniuncta, non autem latenti, ex vulgari ſententia, purpurae, tribuenda. Neque laterum dolores deſunt, pleuritidis imagine ſymptomati-

(*a*) Epidemior. VII. 10.

cae, sed plerumque leves & rariores, fugaciolesque, deliriorum ad incrementa procedentium indices, non raro inter alvum leviter fluxam, subbiliosam, & variam, cum horroribus vel saltem membrorum ad contactum quodam frigore. Huius loci HIPPOCRATICUM illud est (*a*): *in egestionibus biliosis quasi spumosi fluores, malum: tum alias, tum si lumbi antea* (initio quippe morbi), *doluerint, & leviter delirarint. Rari iuxta latus in his locis dolores, delirium significant*. Itemque aliud (*b*): *cum lateris dolore, non vero pleuritico, & turbulentis tenuibus mitibusque* (deliria intelligimus mitia, taciturna, pavoribus saepe interpellata, quae hic sunt ista *παραχώδεα*), *hi phrenitici evadunt*. Saepenumero hos laterum dolores imitantur alii, ad ima hypochondria, praesertim dextrum, ex hepatis, hic laborantis, inflammatione, neque raro cum doloribus intestinorum subacutis coniuncti, ut bene ab ARETAEO notatum est (*c*). Sitis per omnem morbi decursum observatur modica, sive deliriorum caussa, sive tussiculae memoratae; verissime enim & hic HIPPOCRATES (*d*): *quibus plerumque tusses siccae, leviter irritantes, non*

(*a*) Prorrhet. I. 3.
(*b*) Coacar. III. 219.
(*c*) De caussis & signis acutor. cap. 7.
(*d*) Aphor. V. 54.

omnino ſiticuloſi ſunt. Potum igitur raro poſcunt, oblatum vero non eadem opera, ſed per brevia intervalla & quaſi pitiſſando, feſtinanter tamen hauſtum, celeriter itidem & cum contentione deglutiunt: *βραχυπότας* ideo HIPPOCRATES (*a*) vocat.

§. VIII.

Qui paullo acutius difficiliuſque decumbunt, his perpetua iam fere deliria, ſed raro furioſa, taciturna potius, ſunt: vox inter haec ſubobſcura, paullatim etiam intercepta, imo lingua nonnihil reſoluta, & reſpiratio ſub exſpiratione ſaepe quaſi allidens, quam *ſpiritum offendentem*, non uno loco HIPPOCRATES vocat. Aeſtus febrilis modicus eſt, tepet ſaltem corpus, ſubinde frigus membrorum tactu percipitur: ſudores circa caput, capillitio potiſſimum, collo & dorſo profuſi ſunt, ſed his partibus quaſi circumſcripti, ut contigua quoque linteamina permadeant, dum reliquo corpore aut ſicca aridaque & rugoſa cutis eſt, aut membra gelidiuſcula, extrema potiſſimum, leviſſime hument. Perfrigerii eiuſmodi plerumque comes, HIPPOCRATICO multis locis monito, accedit urinae dif-

(*a*) Coacar. I. 139.

ficultas, quae potissimum sub exacerbationibus ingravescit, ut vel per deliria dolores e strangu-ria percipiantur, qui cum alvus aut sicca, aut simul nonnihil tenesmodes est: nonnunquam urina diutule cohibetur, tandemque turbida & semiputrida exit. Quae alias per incrementum vigoremque morbi mittitur, aut splenicae similis est, aut iumentorum urinae, aut flammea denique, quae in vase quiescens paullo post livescit vel nigrescit: alias quidem sine ullo sedimento, alias cum albo quodam, quod hic inprimis fallax esse, recte AETIUS (*a*) inculcat; alias cum ravo, aliterque decolori, quin lateritio, hic itidem suspecto & maligno. Haec est illa urina nigra; cuius toties mentionem facit HIPPOCRATES. Scilicet non protinus nigra mittitur, sed cum sedimento quodam ex memoratis, flammea, quin pallida etiam: missa non diu post nigredinem illam singulari spectaculo concipit. Cum urinis his nigris, sudoribusque circa superiora, quibusdam respirationis illud peculiare genus est, ex anhelitu quasi convulsivo, exspiratione subinde intercepta, admixtoque nonnunquam singultu compositum, quale in hystericis paroxysmis aliquando videmus, HIPPOCRATES θολερὸν

(*a*) Lib. V. 30.

πνεῦμα vocat; GALENUS (*a*), cum inter obscura collocasset, alio loco alioque nomine (*b*), *respirationi puerorum, quum flere desinunt*, rectissime comparat, & ipse HIPPOCRATES (*c*) alibi κλαυθμώδες quasi cum fletu coniunctum, appellat. Frequens id est hypochondriacis quibusdam, senibusque inprimis post interceptas haemorrhoides sic febrientibus: hi enim vivam imaginem exhibent illius HIPPOCRATICI (*d*) *: sudantes, maxime capite, in acutis, & subinquieti, malum, tum alias, tum inter urinas nigras: & perturbatus in his spiritus*, θολερὸν πνεῦμα, *malum*. Accedunt artuum tremores, linguae resolutiones; neque multo post alterutrius brachii crurisve convulsio cum tremore, interdum & leviuscula paralysis excipit, tandemque & sopor, quicum inter profusissimos circa caput, collum & dorsum sudores, peripneumonico modo vitam finiunt. Alii subinde ad deliria perveniunt paullo graviora, sed brevia. Tandem sese verum agrypnocoma addit, ut supini iaceant, contractis cruribus, trementibus manibus, curvatis digitis, iuncturis artuum non bene flectendis, ru-

(*a*) Comment. II. 4. in I. Prorrhet. HIPP.
(*b*) In Explicat. vocum HIPP.
(*c*) Aph. 6. 54.
(*d*) Prorrhet. I. 5. Coacar. I. 74.

gosa fronte, lacrymantibus oculis, udis naribus; interdum subcruentis, labiis contractis dormientium instar, dum vigilant inter haec & delirant, comitantibus aliis funestis signis, quae acutis communia sunt omnibus, inprimis sudoribus illis circa superiora: peripneumonico itidem modo morituri, ubi brevi ante mortem resipuerint, atque ad se quasi redierint. De his intelligendum subobscurum illud HIPPOCRATIS (*a*): *qui ex rigore perfrigescunt, capite & collo dolentes* (haec scilicet initia morbi sunt), *voce destituti* (quod proprius a morte contingit), *superioribus sudantes* (hi sudores inde ab initio morbi ad mortem usque, varia quidem vehementia comitantur), *ubi ad se redierint, moriuntur*. Aliis denique exanthemata accedunt, non quidem temere quaelibet; sed aut maculae, scorbuticarum vel rheumaticarum instar, admixtis ultro citroque vibicibus, utraque non diu ab ineunte morbo; aut purpura, vel exanthemata miliaria, plerumque cum incremento morbi; aut denique petechiae verae, vel eodem tempore, vel brevi ante mortem, inter eosdem sudores, eademque signa affuturae. Plerique sub decursu morbi subinde melius videntur habere: id vero sine ratione contingit & pessimae fidei est. Hae scilicet sunt

(*a*) Coacar. I. 1.

transſmutationes iſtae in phreniticis affectibus; HIPPOCRATICO (*a*) monito, *pravae & convulſoriae*, quippe circa mortem. Hi difficiles illi morbi, qui inter mala ſigna levantur, & inter bona non remittunt (*b*). A morte plerumque cruor naribus, aliquando etiam ore, prodit; & cadavera minus obrigeſcunt.

§. IX.

Nonnulli diutius decumbunt, & non unam febrem, ſed ſuccedentes ſibi plures acutas experiuntur. *Acutos morbos quatuordecim plerumque diebus finiri* (*c*), vel gelidiori, noſtroque ſub caelo, experientiae ita reſpondet, ut illo circiter tempore, non tamen ſuperſtitioſe nimis deſcripto, acutarum febrium decurſus aeſtimare liceat. Quum igitur febris quaedam acuta ad menſis finem pervenit, ultrave produci videtur, illa plurium omnino acutarum, per criſes imperfectas ſeſe viciſſim excipientium, ſyrma quoddam eſt: qualia in *Epidemiis* HIPPOCRATIS exempla legimus. De initiis harum febrium, quoties ſibi ſuccedunt, ex algore quodam citra aliam cauſ-

(*a*) Prorrhet. I. 4. Coacar. I. 146.
(*b*) Coacar. I. 73.
(*c*) Aphor. Sect. II. 23. de Criſſb. 4.

fam fuborto, mutatoque priftinae febris typo, exercitatiores non difficulter ftatuent. Neque difpar eft ratio exanthematum, febri cuipiam acutae ferius fefe addentium, quae quidem nova femper cum febre, perque modum imperfectae crifeos fuccedunt.

§. X.

Qui vero diutius aegrotaturi funt, his inter communia morbi diuturnioris HIPPOCRATICA figna, praefertim faciem non valde mutatam, interdum icterici quid habentem, urinam diu tenuem & crudam, aut variam, & faepe mutatam, opinione citius intertrigo ad os facrum & coccygem adeffe folet, in exulcerationem abitura. Admirabimur & hic in AETIO (*a*) ingeniofam veterum obfervationem: *Et in malignis*, inquit, *febribus invenimus circa haec loca inflammatione vel exulceratione affectos, mente quidem laefos, neque ad dolorem attendentes*. Frequentior etiam diutule decubituris ille ftupor eft, cuius defcriptionem fupra ex AETIO attulimus: ifque interdum levari videtur, & viciffim exacerbari. Quidam fubinde lumbricos, eofque praefagio non bono mortuos, alii taeniarum frufta deiiciunt,

(*a*) Lib. V. cap. 129.

praesertim cum sub isto stupore alvus clysteribus lacessitur. Aliis, sed rarius paullo, & exanthemata, praesertim purpura, accedunt: aliis finem vitae facit lethargus, nonnunquam cum ictero coniunctus, aliis denique carus. Neque raro febris invalescit, ardentiorque fit, quae hactenus languidior fuerat, cum symptomatibus supra dictis, & peripneumonico modo, vitae finem allatura. Cadavera viscerum abdominis varia semper vitia, praesertim hepatis, lienis, ventriculi, intestinorum, uteri, exhibent. Maxime in hepate & vesica fellis inflammationis notae variae, maculae virides lividaeque, bilis decolor, livida, aeruginosa, quin per ipsam hepatis substantiam, tractus putrilagine quasi exesi, & decolores conspici solent. Sanguis initio morbi missus, aut sanorum simillimus est, aut levia saltem inflammatoriae crustae indicia habet. Qui serius mittitur, semper pleuritico similis est, sed non sine coloribus alienis, per crustam inflammatoriam dispersis. Purpurea subtus pars plerumque atra est, neque aequabile coagulum concipit, & subliquida saltem, globulisve & grumis remixta esse solet.

§. XI.

Exanthemata, quae paraphrenitidi se addere possint, supra attigimus. Quadruplicia sunt:

aut miliaria, aut purpura proprie dicta, aut petechiae, quas vocant, aut singulares quaedam maculae. Satis experientia constat, non exanthemata temere quaelibet, sed haec potissimum in febres acutas, symptomatico inprimis modo, incidere. Raro paraphrenitidem ab ipsis initiis purpura vel exanthemata miliaria comitantur: plerumque sub incremento, & frequentius, a vigore accedunt, aut symptomatis instar, aut per imperfectam crisin, ut in aliis febribus acutis. Petechiae tum rubrae, tum protinus flavae lividaeque, frequentiores sunt acutius laborantibus paraphreniticis, inprimis si visceribus abdominis antea male habuerint: fereque inter confinia demum incrementi & vigoris, vel brevi ante mortem, prodeunt. Maculae duplicis generis sunt: aliae scorbuticis, quas vocant similes, qualesve in cachecticis, in hydropicis, melancholicis, pueris rhachiticis & macie consumptis, in aliis denique, qui diu hepate vel liene laborarunt, propius in finem vitae observamus. Magnitudo dispar est, inde a lenticulari: color ravus, lividus, vel quasi cruore suffusae sint; vibicibus, tanquam ex ictu flagri, coniunctae subcruentis, & potissimum sese efferentibus in dorso, lumbis, pectore & abdomine. Hoc genus macularum vel protinus sub incremento morbi solet adesse: neque tamen non serius paullo, maxime, si per

initia

initia incrementumve, quem ſupra deſcripſimus; ſanguinis ex naribus fluor côntigerit. Aliud obſervatur macularum genus, rarius nonnihil, quod ephelidum inſtar, vel lentiginum, flavo luridove colore, inter ipſa obrepentis morbi exordia, per ſuperficiem corporis, inter ſudores intempeſtivos emergit. Singulae ſeſe maculae latius paullatim explicant, confluuntque, ſpatioſum tandem ambitum, quin palmae interdum, aſſecuturae, utique, quo propius mors inſtat.

§. XII.

Qui convaleſcunt, quam tardiſſime ad incolumitatem redeunt: perraro autem aliquis, ſcorbuticis iſtis maculis implicitus, rariſſime, cui alterum macularum genus obtigit, mortem effugit. Difficiles igitur, & imperfectae criſes ſunt. Aliquando ſuccedunt abſceſſus, quin alii & aliis: quos & arte imitari, & diutule ſuppurationem ali, e re eſt. Aliis ſine ullo manifeſtae cuiuſdam criſeos indicio morbus declinat. Hi quidem poſtea diutule varia laborant valetudine, inprimis ex hypochondriis, mali coloris ſunt, pedum oedematibus afficiuntur inter alvum fluxam: obrepit etiam arthritis vel cachexia, non ſine metu ſucceſſuri morbi cuiuſdam ex hoc genere longioris. Sed eoſdem chronica quaedam purpura, vel

cutis aliquis morbus, vel ſcabies, abſceſſuum habens rationem, vel febris quaedam intermittens, vel diutior diarrhoea, vel haemorrhoidum ſede aut urinali veſica fluxus, vel ſuccedentes aliae haemorrhagiae, plurimum levant. Idem ex inteſtino recto vel veſica urinaria profluvium ſanguinis liberalius, quin complurium dierum, ſi ſub decurſu paraphrenitidis acceſſerit, celeriorem ſanitatem pollicetur, veriſſimo & hic HIPPOCRATICO oraculo (a): *alvi profluvium valde rubicundum malum quidem eſt in omnibus morbis; non minime vero in phreniticis*. Multis morbo iam eluctatis ſupereſt quaedam ſurditas, quae diuturna reddi, quin inveteraſcere poteſt, niſi mature, propiuſque a finita paraphrenitide, aut diarrhoea quaedam, aut ſanguinis ex naribus vel per alia loca profuſior fluxus ſucceſſerit. *Surditatem* enim *ex febribus* (b) *ſanguinis ex naribus fluxio ſolvit, itemque alvi turbatio*. Interdum hac ipſa a ſurditate abſceſſus pone aures poſtea ſubnatus, vel arte productus, aut cutis morbus, aut febris intermittens vindicant: ſexum ſequiorem etiam uteri coryza. Perraro ſuperſtes a morbo eſt levis quaedam linguae pareſis, vel membri alicuius, aut ſpaſmodes quid: quibus eadem naturae prae-

(a) Prorrher. I. 1.
(b) Coacar. II. 103.

ſidia, inter artis variam opem ſubveniunt, quae itidem ad vermes inteſtinorum reſpicit. Nam & hos, ut per decurſum morbi notavimus excluſos: ita cadavera inciſa, & ſaepe quidem latos iſtos, conſpiciendos inter reliquas noxas, praebent.

§. XIII.

Exhibuimus decurſum paraphrenitidis per potiora & perpetua fere capita: neque enim addenda videbantur ſymptomata acutis communia omnibus, & quidquid malorum ſignorum duce HIPPOCRATE teſtis experientia docet. Satis arbitramur apparere, quanta ſit paraphrenitidis & malignarum ſimilitudo: quae non per pauca ſynedrevonta, ſive pluribus morbis communia ſymptomata, ſed per omnem omnino decurſum deſcribitur. Phrenitis vera atque primaria, & ipſa leviſſimum initium parvamque febrem, & in his laborantia quoque praecordia, communia cum paraphrenitide habet: ſed multo acutior eſt, furioſaque deliria non diu latent. Frequentius enim opinione eſt, phrenitidem veram primariamque non ſola ſemper cerebri inflammatione contineri, ſed plerumque inflammatorias turbas ad hepar & vicina viſcera coniungi. Id vel praecordia docent, quibus tantos topicorum apparatus veteres adhibebant. Malignas febres commode ad duas

classes redigimus : Aliae sunt sporadicae ; quae privatis & inquilinis corporum vitiis nascuntur, sive exanthematibus caruerint memoratis, sive coniunctae fuerint. Aliae epidemicae, quas communis ex aëre victuque caussa, vel contagium producit, pestilentes dicendae, si magna cum strage grassentur : quorsum & ipsa pestilentia vera referenda. Nihil est in paraphrenitide, quin utrique malignarum classi respondeat : nihil, quicquid vitiorum utrobique inventum in cadaveribus legimus observamusque. E malignarum febrium tribu sporadicae illae, intestinis corpori de caussis & singularibus obortae, non adeo acutae solent esse, & frequentissime diem vigesimum attingere, neque raro superare : sique creduntur acutiores, quaestio esse potest, an clandestini subdolique initii recte subductae rationes fuerint. Eadem est indoles paraphrenitidum, quae aliis acutis, si vel pleuritidem nominavero, acumine plurimum cedunt, & acutam quandam ex decidentia, ut veteres vocant, tarditate atque tempore referunt. Malignae epidemicae & contagiosae, quum plerumque perniciores nonnihil observari solent : tum a paraphrenitide acutiori nihil differunt.

§. XIV.

Ipſa peſtilentia vera procul dubio nihil eſt, niſi paraphrenitidis ſpecies, ſingulari quodam contagio, quod inprimis hepati nocere videtur, enata. Non digredimur ad agitandam quaeſtionem, an citeriorum temporum peſtes HIPPOCRATI & GALENO cognitae fuerint: ſed illud non temere videmur affirmaturi, ſi quis fide dignas hiſtorias attentius inſpexerit, obſervaturum in decurſu peſtis veriſſimam quandam paraphrenitidem, ſuo genere contagioſam, quae, ſive ſolitaria ſit, id eſt, cum carbonibus ſaltem bubonibuſque, quibus tamen perraro caruiſſe legitur, ſive cum aliis exanthematibus complicata, ſolius quidem contagii nomine diſcrimen a ſpecie recipiat. Ad componendum cum paraphrenitide peſtis decurſum, ſatis erit audiſſe AETIUM (a). *Omnia*, inquit, *in peſte contingunt diriſſima: diverſae paraphroſynae, & bilis vomitus, & hypochondriorum intenſiones atque dolores, ſudores multi, & frigora extremorum; & diarrhoeae bilioſae, tenues atque flatuoſae, urinaeque, aliis bilioſae, aliis nigrae, habentes mala ſedimenta & enaeoremata peſſima. Naribus ſtilicidia ſan-*

(a) Lib. V. 96.

guinis, ardores in thorace, linguae asperae & horridae, vigiliae, tremores fortes: quin alia mala ulcera & carbones. Omnia ubique in peste dira sunt, & in reliquo corpore, & in facie, & in faucibus.

§. XV.

Non igitur abs re, quidquid febrium malignarum est, referemus ad paraphrenitides: illarum classi adscribemus paraphrenitides acuminis non unius, easque solitarias, exanthematicasve: titulo febrium catarrhalium malignarum, tum simplicium, tum generatim exanthematicarum. Docet experientia, febres acutas omnes ex inflammationibus per viscera abdominis, maxime per hepar, non aestuosas ardentesve observari, sed parvas, quin exiguas: ipsas etiam intestinorum inflammationes, atrocissimis coniunctas doloribus, ipsas uteri, cum febribus saepe quidem acutissimis, non tamen pro modo pleuritidis cuiusdam, inflammatione itidem genitae, vehementibus ardentibusque esse. Parvas dicimus, *quae ad contactum non sunt adurentes* (*a*), pulsumque habent, aut frequentiorem quidem sed debiliorem, aut naturali similem, *aestu*, ut AETIUS

(*a*) Coacar. I. 137.

ait, *interiora tenente*. Pervulgatum est, malignitatis caussas inflammationibus illorum viscerum deberi, hepatis potissimum: sive alia iam eius labes delituerit, inflammatione exasperata; sive demum hac ipsa vitiatum fuerit. Inde videmus, hypochondriacos, atque universim, quadam ex hepate valetudine conflictatos, paraphrenitidi malignisve febribus opportuniores: ut ipsa peste hos gravius periclitatos compertum fuerit. *Habet hepar*, ARETAEO pronunciante (*a*), *& in morbis ad mortem, & ad sanitatem validissimam caussam; quantoque melius ad sanitatem est, tanto deterius in morbis: nam & celerius & violentius inflammatur, & abscessus patitur diuturniores & perniciosiores*. Praeclare BOERHAAVIUS (*b*), cum de acutis chronicisque vitiis hepatis exposuisset, *ex his*, inquit, *intelligi possunt infinita symptomata, in morbis acutis occurrentia, quorum ignota ratio inanes malignitatis fabulas produxit*. Discentium tamen, & legendorum auctorum caussa, non arbitramur, malignitatis vocem proscribendam esse: dummodo eadem non abutamur idolo, memores, malignam febrem dici saltem a specie levitatis, quae per initia fal-

(*a*) De caussis & signis diuturnor. I. 13.
(*b*) Aphor. 950.

lere potiſſimum queat. Ceterum non temere conieceris, exanthemata pleraque, quae febribus his vel primario vel ſymptomatico modo iunguntur, nihil eſſe, niſi ichoris cuiuſdam tabique, ex hepatis potiſſimum uterique inflammationibus, aliiſque vitiis, ſubnati & ſanguine recepti; ad ſuperficiem corporis metaſtaſes, quae interdum per modum ſaltem ecchymomatis contingant, ut in maculis iſtis petechiiſve: interdum inflammatione fiant praegreſſa, & parvulis inde, ſanioſiſque potius quam purulentis abſceſſibus, ut in febre miliari.

§. XVI.

At haec pro temporis & inſtituti ratione tantiſper ſufficiant. De curatione obiter addendum videtur, vomitoriis carere illam nullo modo poſſe. Praecedat neceſſe eſt venae ſectio, qua interdum non una, vel per incrementa morbi, opus erit, ſi praeſertim peripneumoniae cuiuſdam ſymptomaticae graviores minae fuerint. Sed quas febris quaedam pectoris inflammatoria requirit ſanguinis miſſiones, has arctioribus limitibus hic circumſcribemus. Succedat primae venae ſectioni, vel eadem die, ſi res ita poſtulat, vomitorium. Neque huic iterando vel incrementum febris adverſatur. Permagna illi vis eſt, non ſolum per initia ad levandum morbum, ſed

etiam ſerius forſan, omnibus probe penſitatis; dato, ad minuenda profligandaque deliria iſta, per conſenſum oborta: ſive eiectae ex primis viis ſaburrae, ſive, ut videtur, motui cuipiam, viſceribus laborantibus incuſſo, magnam omnino partem deberi effectum illum cenſeas. Si cauſſa eſt non exhibendi vomitorii, ubi antiquatae in hepate labis timor vel ſuſpicio eſt, vel non ſerius exhibendi: rhabarbarinorum praecipua laus erit, compluribus iugiter diebus mane datorum. Vanus enim metus eſt diarrhoeae, ſudores cohibiturae, quos inter plerique moriuntur. Reliquorum remediorum delectus continetur nitro, ſale ammoniaco, acidis, camphora. Declinante morbo, ulcus artificiale utiliter alitur: tumque viſceribus, in quae morbus impetum fecerat, per lacticinia, per acidulas, chalybem, corticem Peruvianum, aliaque remedia, quae hypochondriacis deſtinamus, ſubveniendum. Quorum quidem adhibendorum indicationes quum ex locis affectis petimus, & ſuccedentibus ſaepe eorundem viſcerum diuturnioribus morbis: tum ex ipſa febrium huiuſmodi tardiori ſolutione, rariſque criſibus verioribus & perfectioribus; memores veriſſimi illius HIPPOCRATICI, huc inprimis referendi (a): *quae relinquuntur poſt criſes, recidivas fa-*

(a) Epid. II. 3. 72.

cere solent; *primumque lienis tumores*; *nisi ad articulos finierint*; *contingit etiam haemorrhagia*, *aut hypochondrii dextri intensio*, *si non processerint urinae*. Per urinas intelligemus, quae diu satis coctae, cumque sedimento bonae notae missae fuerint. Nam perspicuae aquosaeque istae, splenicae sunt, implicitumque iam hominem subnascenti ex hypochondriis valetudini, testantur.

IACOBI GODOFREDI CAMERER

DE

SIGNIS MORTIS DIAGNOSTICIS

ARGENTORATI 1785.

PROLOGUS.

Momentoſum certe eſt, quin ſummopere neceſſarium, finitae vitae ſigna diagnoſtica cognita habere, eaque ad oblatos caſus caute applicare, quum haec ſigna qui bene calluerit, haud raro alios a morte, vel etiam a ſepultura ante mortem defendere poſſit. Ac mirandum ſane, cuilibet mulierculae commiſſum eſſe, ut de morte hominum decernat, quamvis vel quo loco cordis arteriarumque pulſus tangi poſſit, ignoret. Verum enim vero ſigna mortis ſaepe ita dubia, ita ſenſus noſtros fugientia deprehenduntur, ut vel expertiſſimus Medicus vix ſuſtineat, certo edicere, an mors vera, an tantummodo apparens praeſto ſit: neque ſemper aut ſepultura eouſque differri, aut tam diu exſpectari poteſt,

donec putredo, quam unicum certum morbis signum esse clamant, suis signis se prodens, ulterius de morte vera dubium omne sustulerit, Ita enim in alterum extremum aberrantes, contagiosisque, ac ex plenaria putredine oriundis perniciosissimis exhalationibus vivos homines inprimis egenos, commodis, quibus periculum averti potest, destitutos, nec non eos, quibus ex officio saepius cum demortuis res est, exponentes, plus noceremus, quam iusta cautione prodesse possumus. Notum porro est, vix ex alia re tanta incrementa coepisse artem salutarem, quanta ex Anatome cadaverum variorum e variis morbis demortuorum hominum. Quod si enim dissectio haec anatomica tum demum institueretur, cum putredo vera adest, certi saepe esse non possemus, num mutationes in cadavere obviae morbo praegresso, an putredini attribuendae sint. Idem accidere potest in casibus legalibus, cum corpora putredine alterentur, putridaque ea, qua par est, attentione disquiri vix possint. His addi debent casus isti, in quibus de foetus utero nondum exclusi vita vel morte tum ob sectionem Caesaream aut Sigaultianam, tum ob sectionem foetus, ut & in casibus forensibus iudicandum est.

Inde etiam factum est, ut Summi Principes hanc rem sua cura non indignam censuerint. Quorum e numero inprimis est SERENISSIMUS

DUX noſter CAROLUS, qui omnium civium ſaluti invigilantiſſimus edictum de non ante elapſas horas 48. ſepeliendo promulgavit. Medicos ergo haud parum intereſt, tum invigilare, ut egregia eius generis DUCIS CELSISSIMI mandata obſerventur, tum etiam alios de neceſſitate atque utilitate illorum convincere. Quare putavi, me rem ſuſcepturum eſſe haud prorſus inutilem, ſi ſpeciminis loco hoc thema mihi elaborandum ſumerem. Cum vero haud adeo frequens ſit occaſio obſervationum, ſigna mortis illuſtrantium, non mirum eſt, a me novas hac in re nondum inſtitui potuiſſe. Itaque hac ex parte nihil mihi reliquum erat, niſi ut, conquiſitis, quae alii tradiderunt, exemplis, iis maxime, in quibus morbum ac ſigna mortis accuratius enarrata deprehendi, quod mihi deerat, ſupplerem. His tamen aliqua exempla adhuc anecdota addidi, ex iiſque omnibus ſigna mortis diagnoſtica abſtraxi, ſingulaque ſub trutinam revocavi, ut, quid in iſtis certum, quid incertum ſit, determinaretur; dein etiam aliqua ad Politiam Medicam ſpectantia monita addere auſus ſum.

CAP. I.

Exempla.

§. I.

CUm omnia tam morborum, quam & ipsius mortis signa non nisi ex observationum inter se collatarum copia abstracta fuerint; omnisque semiotice iis solis nitatur: necesse est, ut initium faciam, plura exempla proferendo, quorum magis notabilia ipsis plerumque Auctorum verbis enumerabo, ut, quae fides signis mortis variis habenda sit, ex his potissimum elucescat. Illis vero observationibus signa mortis maxime illustrari puto, quibus casus talium hominum memorantur, qui ob hoc illudve signum pro mortuis habiti iterum ad se redierunt, aut qui, mortuis adeo similes fuerunt, ut, nisi in manus Medicorum maxime attentorum incidissent, certe mortuorum sortem subiissent, atque ita, signa mortis praecipue distributive sumpta fallere docuerunt. Dein singulorum mortis signorum non aequum est pretium, nec omnia eundem certitudinis gradum habent. Hinc etiam a se invicem solicite distingui debent.

§. II.

Primum quidem locum teneant ii casus, in quibus morbi expressa sit mentio, quo praegresso signa mortem veram referentia apparebant, ut etiam aeger falso pro mortuo haberetur. Morbi scilicet, in quibus ob signa mortis lubrica non nisi cum summa cautione agendum, neque quidquam, quod apparenter mortuum iuvare possit, negligendum esse, exempla docent, sequentes sunt:

I. Deliquia (*a*).

» Iuvenis annorum XXVI. collapsus iacuit; semihorae quasi spatio, omnis sensus expers, quietus, absque tremore & motibus convulsivis ullis, facie pallidus & uvidus circa frontem, sine respiratione sensibili, *instar mortui*, absque pulsu notabili. Eluctatus tandem quasi ex somno, nullo adhibito remedio ad se rediit. G. W. WEDEL (*b*) «.

» Syncopen repentinam aut periculosam animi defectionem interdum vidit supra horas 24.

(*a*) CALLISEN Instit. Chir. hod. p. 274. haec suffocationes vocat.

(*b*) Ephem. N. C. Dec. II. Ann. I. Obs. X.

fine ullo pulfu perfeverare citra exitum FERNELIUS (*a*) «.

Cf. porro BRUHIER (*b*).

Afphyxia ex vaporibus inprimis carbonum.

„ Duos fervos a carbonum vapore affectos tota familia rebatur mortuos, quia in ipfis arteriarum pulfus non percipiebatur, extrema totius corporis frigebant, vox & motus perierant, facies livebat, nec pulfati aut etiam violenta manu depilati excitabantur - PARAEUS vero ex calore in regione cordis fuperftite, & pulfatione illius licet exigua in ipfis ad huc animam refidere animadvertit - Paullo poft ad fe redibant (*c*) ".

„ In fundo minerae lithantracis ob conceptum ignem fumo infectae rufticus vitam amiferat; poft femihoram educitur frigidus, pulfu fenfuque

(*a*) SCHENCK. Obferv. & Hiftor. Med. pract. rar. Lib. II. p. 467.

(*b*) Diff. fur l'incertitude des fignes de la mort & l'abus des Enterremens & Embaumemens precipités: par M. J. B. WINSLOW traduite & commentee par JAQUES JEAN BRUHIER, D. en Medecine. Liber hic auctior prodiit 1749. & 1754. editio in vernacula cum notis curata eft a Cl. IANCKE, quam ad manus habeo. §. 7. & p. 43. 110. 115. 411. 765.

(*c*) SCHENCK. l. c. Lib. II. p. 467.

ſuque omni deſtitutus; nulla vitae ſigna ſupererant - poſt alteram horam ſenſus recuperavit (*a*)".

Similia exempla habet BRUHIER (*b*).

Aſphyxia ab effluviis vini fermentantis (*c*).

Aſphyxia ex evacuatione enormi, maxime ſanguinis.

Huc caſus pertinet notatu digniſſimus, quem ab Excellentiſſimo SIGWARTO Praeceptore longe colendiſſimo narrari memini: foemina quaedam Stuttgardiae menorrhagia circa meridiem mortua eſſe credebatur. Accedens Exp. SIGWARTUS, quem tum temporis Stuttgardia Medicum aulicum habebat, pulſum atque reſpirationem invenit nullam, ex flexilitate articulorum tamen pro ea, qua pollet, ſagacitate vitam in ea adhuc latere ſuſpicatus, corpus illius frigori (ut propinqui volebant), exponi interdixit, remedia potius omnia, quibus excitari poterat, adhiberi iuſſit. Subſequente nocte ipſe praeſens

(*a*) Eſſ. d' Edinb. T. VI. art. 35. SAUVAGES Noſ. method. T. I. p. 816. & FOTHERGILL *ſämtliche Schriften. I. B. S.* 214.

(*b*) L. c. p. 178. 182. (pulſus cordis arteriarumque deficiebant, neque reſpiratio percipi poterat --).

(*c*) *Wunder der Natur aus d. Franz. überſezt. I. B. S. 93.*

vigilansque plurima tentavit. Quamvis vero sub his tentaminibus nullum ulterius vitae signum apparuerit; postero tamen die remediis insisti iubet, quod a praesentibus, eius pertinaciam ridentibus, vix obtinuit. Totum diem in eodem statu manet foemina. Neque etiam sic patientia lapsus Medicus noctu secunda vice ipse praesens adest, plurimaque refocillantia atque excitantia, frictiones maxime totius corporis continuas, &c. eo eventu adhibet, ut tandem sibi restitueretur, & deinde sub ulteriori cura prorsus sanaretur, postquam 38. circiter horas in isto statu transegerat.

„ Nobilissima matrona Augustana immenso sanguinis profluvio ex utero correpta in syncopen tam gravem incidit, ut sensu motuque omni destituta sine pulsu iaceret, nullo vitae indicio, nullaque dubia mortis persuasione. At cum postridie linteo sepulchrali insueretur; pollinctor acum plantae pedum infixit, si forte sensum vitamque superstitem deprehenderet. Nec sane inauspicato: nam dicto citius spiritum trahere incipiens - diu postea sana & vegeta supervixit, WELSCHIUS (*a*) ".

(*a*) Curat. & Obs. Med. Cent. VI. Obs. C.

Similes casus narrant GERARDUS VAN SWIETEN (*a*) & BRUHIER (*b*).

Sanguinis etiam iactura, quamvis non enormis; tamen vel ex subitaneo collapsu vasorum cerebri, vel ex Idiosyncrasia, vel ex complicatione ex. gr. cum animi passionibus, similem adfectum excitare potest.

Id demonstrat casus notabilis, quem sibi in praxi olim obvenisse retulit in praelectionibus pie devenerandus Dom. PRAESES: studiosus quidam ex Helvetia oriundus febri inflammatoria laborabat, venam secari iubet Dom. PRAESES, qua secta, sanguinisque unciis circiter octo detractis, incidit in asphyxiam plenariam, ita, ut pulsus plane deficeret, & respiratio cessaret. In statu hoc perseverat duas integras horas, quibus elapsis, aptis adhibitis remediis tandem ad se rediit.

Asphyxia gravidarum ac parturientium.

Graviditatis tempore atque sub & paullo post partum in asphyxias saepius incidunt foe-

(*a*) Comment. T. I. §. 161. p. 235. (Vulneratus erat rusticus, ita ut ex discissa arteria axillari incredibili impetu exsiliret sanguis -- pro mortuo deponebatur -- sequenti die inventus fuit aliquis calor circa thoracem; caeterum nulla vitae signa -- evasit tandem). T. IV. §. 1316. p. 549.

(*b*) L. c. p. 204. 731. (Sync. erat ex diarrhoea diutius protracta).

minae, maxime ex haemorrhagia, in quo ſtatu, ut communi omnium conſtat conſenſu, ſigna mortis maxime incerta ſunt (*a*). Quod ſi hae foeminae hyſtericis atque ſpaſmodicis affectibus alias obnoxiae erant; incertitudo eo maior erit.

Huc pertinet exemplum uxoris Profeſſoris cuiuſdam H..... Tubingenſis quondam celeberrimi, quod ex ore filiae eius, matronae apud nos ſpectatiſſimae narro.

Erat illa ſpaſmodicis atque hyſtericis paroxyſmis ob ſyſtematis nervoſi ſenſibilitatem ſaepius obnoxia. Anno 1729. ſexto graviditatis menſe peregre abierat. Ibi ex ſcala delapſa, mox domum revertebatur. Viginti poſt reditum dies mure in brachium inſiliente perterrefacta incidit in ſpaſmos graviſſimos, cum convulſionibus alternantes. Quatuor elapſis horis aſphyxia affecta fuit tanta, ut ELIAS CAMERARIUS, MAUCHARTUS aliique tres Medici eam mortuam eſſe crederent. Signa enim vitae aderant nulla. Omnis motus, externorumque ſenſuum uſus ceſſabat, neque pulſus cordis arteriarumque, neque reſpirationis ullum aderat veſtigium, ita ut ori admotum ſpeculum non obſcuraretur. Effi-

(*a*) Ill. FRANK *in Magazin für die gerichtliche Arzneikunde u. med. Polizey. IV. St.* 1783. *S.* 994. *ff. S.* 999.

caciſſima remedia excitantia, ipſum candefactum ſuccinum naribus intruſum, tentabantur fruſtra. Quinque ita horis tranſactis poſtquam reliqui Medici ſpem omnem de ſuperſtite vita abiecerant, aliquid ſibi adhuc in memoriam venire, quod tentari poſſit, ait EL. CAMERARIUS. Pridie in utraque ſura emplaſtra veſicatoria applicata erant. Separatam igitur epidermidem ex reliqua pedum ſuperficie detrahi iubet, accurata ſimul attentione adhibita, ſi quam forte partem foemina moveret. Quum in eo eſſet, ut pollex epidermide nudaretur, qui circumſtiterant, parvum vix perceptibilem oris motum obſervabant. De vita ſuperſtite ita minus dubitantes Medici ſupradicti certatim adhibebant remedia, quae que noverat, penetrantiſſima, vel cauſtico actuali non excepto, ut nulla fere corporis pars reliqua eſſet, quae non vellicando, pungendo, urendo aliiſque modis laceſſita fuiſſet. His omnibus, ut videbatur, irritis, foemina abſque ullo nutrimento, & abſque ullo reliquo vitae ſigno, niſi eo, quod ex aliquali praecordiorum calore redundabat, per 6. dierum in hoc ſtatu continuabat intervallum. Quibus praeterlapſis ſubito oculos attollens ad ſe rediit, inſcia omnium, quae circa ipſam acta erant. Iam alimentis paullulum recreata, & per abortum ſummis cum doloribus & difficultatibus a foetu liberata brevi ſanata

fuit, remanente tamen febri, quae diu adhuc eam afflixit, donec tandem plenarie restitueretur. Singularem istam attentionem iu foeminam hanc pro mortua habitam fixerat inprimis vir ex eadem familia oriundus, qui non longe antea apoplexia affectus, pro mortuo depositus tres tamen postea dies supervixit.

Similia exempla narrantur a WINSLOW (*a*), VAN SWIETEN (*b*), BRUHIER (*c*), BRINKMANN (*d*), FRANK (*e*).

Asphyxia spontanea.

„ Rusticus quidam Gregorius carceri inditus erat - Simulat se asphyxum - Medicus doctus pulsum arteriarum cordisque non percipit, accensa candela naribus admota non movetur. In-

(*a*) Diss. an mortis incertae signa minus incerta a Chirurgicis, quam ab aliis experimentis?

(*b*) L. c. T. IV. p. 549. & 550. (gravida IV. graviditatis mense valida cholera & subitis ac copiosissimis evacuationibus quinque horarum spatio adeo exhausta erat, ut post convulsiones inciderit in veram syncopen &c.).

(*c*) L. c. p. 73. 88. 136. (foemina VII. graviditatis mense, a lapsu in syncopen inciderat, in qua absque vitae signis 72. horas perseverabat). *396.* *723.* *774.*

(*d*) *Beweis der Möglichkeit, dass einige Leute lebendig begraben werden können. Düsseld.* 1772. *S.* 160.

(*e*) *Syst. einer vollständigen med. Polizey I. B. S.* 578. & nouveau Dictionnaire de Medecine & de Chir. Vol. V.

cisae cuti applicantur cucurbitulae - Manuum digiti minimi tanta vehementia fricantur, ut colorem nigrum conciperent, ungues manuum pedumque acutarum subularum ope reflectuntur, Spir. Sal. ammon. guttae aliquot instillantur ori, quarum vi resistere aegre potuit. Sustinuit tamen haec omnia constans atque immobilis horas circiter decem. MONTI (*a*) ".

Nota porro sunt exempla Presbyteri Restituti, quod AUGUSTINUS (*b*) narrat, qui in profundo deliquio, quod sponte sibi adsciscere poterat, igne admoto ustus esse dicitur sine ullo doloris sensu, & chiliarchae Angli Townshend, qui ex situ supino pro lubitu in plenariam asphyxiam cecidit, ut neque pulsus neque respiratio percipi posset (*c*).

Huc etiam referri forte poterit historia, quae narratur in *Wunder der Natur* : (*d*) puella

(*a*) Ex Litteris ad perill. HALLERUM datis in Med. Dictata übfzt. Stuttg. 1781. p. 1. ff. (fides tamen historica non ita firma est, uti esse debebat).

(*b*) De Civit. Dei Lib. XIV. c. XXIV. cf. LAZERME Tract. de morb. int. Cap. p. 304.

(*c*) D. CHEYNES Treatise on the english Malady. BRUHIER l. c. p. 198. ff. SAUVAGESIUS l. c. T. I. p. 818.

(*d*) *II. B. S.* 331.

annorum XX. quovis anno die primo Martii afficiebatur morbo, qui die XIX. eiusdem mensis plerumque cessare solebat, ad quem commodius sustinendum dicta puella aliquot dies ante, quam eum exspectabat, se praeparabat. Lecto scilicet posita obdormiebat, sicque continuabat immobilis, manibus ac pedibus rigentibus, oculis clausis, dentibusque ita firmiter sibi appessis, ut os nulla vi aperiri posset. Neque aliud vitae signum apparebat, nisi vix sensibilis palpebrarum nictitatio, & obscurus genarum rubor. Pulsus fere non percipi poterat. Neque edebat, neque bibebat hoc tempore, quod & ab iis, qui iussu Magistratus eam custodiebant, confirmabatur, evacuationem vero etiam patiebatur nullam, nedum sudorem. Anaesthesia aderat plenaria, ita ut acus pedibus cruribusque infigerentur absque dolore. Vescebatur reliquum neque pane neque carnibus, sed fructibus tantummodo horaeis.

Asphyxia pathetica 1) a metu.

„*Auch ich habe den kalten Athem in einem dem Anschein nach todten Menschen bemerket, als er allmählig sich wieder zu erholen anfieng. Dieser Mensch war ein starker Bauer von ohngefähr 36-40 Jahren, der aus Furcht des Galgens in unserer Gefangenschaft alle seine Kräften so sehr verlohren, dass ich keinen Puls an ihm fühlen, keine Bewegung des Herzens und keinen*

Athem an ihm entdecken konnte. Sein Angesicht und seine Lippen waren ganz erblasset, seine Augen geschlossen, er war kalt und einem Todtenkörper in allem ähnlich. Man stiess ihn, riss ihn, schlug ihn, und wälzte ihn auf der Erde herum, ohne das geringste Lebenszeichen ihm auszupressen. Ich hielt ihm den flüchtigen Salmiakgeist unter die Nase, – er machte nicht die geringste Bewegung. In die Nase selbst goss ich ihm diesen Salmiakgeist, er gab nochmals nicht das geringste Zeichen des Lebens. Ich goss ihm die stärkste Arzneyen in den Hals, sie kamen von selbst zurück in den Mund, und flossen ihm über den Bart herunter – Gleich leblos blieb dieser Kerl über 24. *Stunden, und erst nach dieser Zeit fieng ich an, den sehr langsamen und kleinen Athem zu bemerken* — ZIMMERMANN (*a*)".

(*a*) *Von der Erfahrung in der Arz. I. T. S.* 369. & f. I. c. „Ipse ego in homine apparenter mortuo frigidam observavi respirationem, quo tempore ad se redire lentius inceperat. Rusticus hic erat robustae constitutionis, annorum 36--40., qui ex patibuli metu, nostris in carceribus detentus, vires omnes adeo amiserat, ut nec pulsum in eodem percipere, nec motum cordis sentire, nec respirationem ullo modo distinguere potuerim. Facies & labia erant pallidissima, oculi clausi, frigebat corpus, & cadaveri erat in omnibus simile. Concutiebant Viri huius corpus, trahebant fortiter, percutiebant, & super terram circumrotabanr, quin vel minimum vitae signum proderetur. Naribus eius-

dem spiritum salis ammoniaci volatilem admovebam: nec minimum motum edebat. Ipsi narium cavo praedictum spiritum instillabam: nec aliquis abhinc sensus prodebatur. Fortissima nunc per fauces medicamenta urgebam; sed per oris cavum haec effluebant & super mentum decurrebant. Per 24. sic horas in eodem asphyxiae statu permansit miser: & hoc demum tempore absoluto, lentissimam, atque summe debilem respirationem observare mihi licuit ".

(*) Huic eximiae ZIMMERMANNI Observationi, aliam, quae me ipsum concernit, superaddam. Ante 19. fere annos, dum Medici aulici vicibus *Rastadii* fungebar, a febre gastrico-putrida correptus, eo tantum redigebar a morbo, ut a media nocte usque ad horam quartam matutinam, oculis apertis, mandibula delapsa, artubus frigidis & rigidis absque respirationis signo, & sine sensu, mortui adinstar in lectulo iacerem. Tandem vero, cum variis rebus me inanimem lacesserent, oculis aquae spirituosae, qua faciem lavabant, incidere portionem contigit. Redii, subitaneo quasi terrore expergefactus; sed perfecte recordor, me, antequam sic ad vitam evigilassem, verba adstantis viri audivisse, dicentis: *quid mortuum lacessitis! Sinite eum, decessit enim!*.. Vix vero mei compos factus eram, cum, factorum licet immemor, de morbi violentia nimia querelas moverem: cum tamen ab hoc ipso asphyxiae stadio, dissipatis omnibus fere morbi symptomatibus, reconvalescere inceperim. FRANK.

(*a*) L. c. p. 137. 520. (foemina brachia habebat rigida instar pali (*un pieu*) expansa, totum corpus frigidum instar lapidis marmorei, neque respiratio, neque arteriarum pulsus percipi poterat, plenamque faciem mortuae prae se ferebat. -- In hoc statu vixit ad minimum horas octo).

Asphyxia x spasmo stomachi : BRUHIER (a).
Asphyxia ex doloribus . IANKE (b).
Asphyxia ex ingluvie (c).

II. Passio hysterica , atque hypochondriaca .

„ Occurrit mihi nobilis matrona , quae suffocatione uteri correpta , omnium consensu mortua iudicabatur. Specillum tamen perpolitum , ori & naribus appositum aliquo modo inficiebatur & obscurabatur SCHENCK (d) ".

„ Mulier aliqua uteri doloribus & suffocatione sine sensu & motu pro mortua habita decubuit . Aptis remediis vero adhibitis post semihoram sternutare & sese recipere cepit . HORSTIUS (e) ".

Alia exempla habent PETR. FORESTUS (f) , D. EHRENFR. HAGENDORN (g) , FE-

(b) *Samml. u. Erkl. merkw. Erscheín. aus dem menschl. Leben. S.* 35.
(a) L. c. p. 123.
(b) In Not. ad BRUHIER p. 104. Not. n.
(c) Cf. REAL-ZEITUNG *auf das Jahr* 1774. *v.* IOH. HEINR. GROS Num. 18.
(d) L. c. Cent. I. Hist. LVII.
(e) Observ. Med. Lib. I. Part. 2. p. 74.
(f) Obs. & Curat. Med. Lib. X. Obs. LXXIX. Schol.
(g) Obs. & Hist. Med. rar. Cent. I. Hist. LVII.

LIX PLATER (*a*), SCHENCKIUS (*b*), BRUHIER (*c*). Huc etiam exemlum fummi Anatomi VESALII pertinet, a qo foeminam hyftericam diffectam effe, quae ei mortua credebatur motu & clamore tamen wam fe brevi poft oftendit, vulgo notum eft (*d*.

III. Apoplexia.

„ Iacebat cadaveris intar in lecto aeger immobilis, qui apoplexia concuffus fideratorum more fubito corruit in terran. Hic cum triduo a Medicis pro deplorato drelictus, apparente circa os copiofa fpuma cruena, vefpillonum adventum exfpectaret; pro eius falute affines, Medicorum confilio nullum praefidium tentabant. Uxor me & alium focium convocavit. Pulfum nullum invenimus. At - ex utraque cephalica fanguinem parce detraximus. Facta hac evacua-

(*a*) Obf. Lib. I. p. 173.
(*b*) L. c. Lib. IV. Cap. de Suffocat. uteri.
(*c*) L. c. p. 46. 124. 132. 705. ff.
(*d*) Cf. SCHENCK. l. c. Lib. IV. Obf. 289. VAN SWIETEN Comment. T. IV. p. 549. alios. (Sunt, qui cordis palpitationem tantum poft lectionem apparuiffe memorant, eamque irritabilitatis cordi adhuc inhaerentis potius, quam vitae adhuc fuperftitis fignum fuiffe docent, ut MOSCATI cf. *Götting. Anzeigen von gelehrten Sachen* 83. *St.* 1785.).

tione pulsus obscissime tamen percipitur. Altero die iterum e eadem vena cruorem exhaurimus. His celeratis oculos, aperire coepit. Sanitas restituta it. ZACUT. Lusit. (*a*) ".

„ Piscator a horarum spatio apoplecticus, toto corpore frigus, lineo panno ad sepulturam involutus &consutus in terra iacuerat, dum a vespillonibus asepulturam deferretur, raucum & ignotum clamrem edidit - post paucos dies valuit pancratice Idem (*b*) ".

„ Lanius qdam apoplexia correptus pro mortuo habitus l. Forte supervenit Medicus, qui, quamvis illum arteriarum in eo pulsum persensisset; talu tamen eius baculo tam diu percussit: doneculsus rediit. DE HAEN (*c*) ".

Similia expla narrantur ab ARNOLDO DE VILLANOVA (*d*), BLEGNY (*e*), SCHENCK (*f*) BRUHIER (*g*).

V. Convulsiones.

Hic casus narrandus est, qui in oppido quodam Würtenergensi W . . . . m ante aliquot

(*a*) Prax. Med. mir. Lib. I. Obs. XVII.
(*b*) Ib. Obs. XI:
(*c*) Rat. Med. TXIII. p. 275.
(*d*) Pract. Med. b. I. c. 23.
(*e*) Zodiac. gall.n. 1680. Mens. Dec. Obs. I. p. 264.
(*f*) L. c. Lib. I. 138.
(*g*) L. c. p. 143. 54. 461. 689. ff.

annos evenit, & qui ex Praefecti iſtius oppidi, relatione Ser. Duci facta ita ſe habet: puella annorum XIV. (nomen addere mihi non fuit conceſſum) tota hyeme preſſione quadam thoracis, vagiſque doloribus in variis corporis partibus laboravit, & duabus fere ante mortem hebdomadibus convulſionibus ſpaſmis, atque dyſpnoea gravius afflicta eſt, ut lecto teneretur. Die vero XVIII. Maii 1780. circa horam matutinam quartam his affectibus ita graviter decubuit, ut ab adſtantibus pro defuncta habita poſtridie circa horam matutinam decimam ſepeliretur. 30. itaque inter apparentem mortem & ſepulturam horae intererant (Mandatum quippe de non ante horas 48. ſepeliendo tunc temporis nondum editum erat). Poſtquam coemeterio abierant, qui funeris exequias proſequebantur, terraque ſarcophago ſuperiniecta reliquam humum iam aequabat; audiuntur ab adſtante veſpillonis uxore vehementium ictuum ſoni in ſarcophago, ſaepius repetiti. Perculſa inſolito ſonitu mulier concitato curſu adit maritum, qui una cum uxore accurrens audit repetitas iam vehementiores ictus, quibus breviſſimo intervallo ſuccedebant alii ſimiles. Percipiebantur autem ad inferiorem maxime ſepulchri partem, quo loco pedes poſiti erant. Angore & terrore plenus veſpillo advocat praetereuntes duos viros, ſubitoque diffuſa huius

rei fama mox magna hominum copia ad sepulchrum gregatim confluit. Plurimis iam praesentibus, dum ictus adhuc ederentur, vehementia subinde aucti, tandem incipiebant effodere fossam ut poterant celerrime. Primo dum effodiebant, continuabant ictus, qui vero brevi post cessabant. Cadaver effossum absque omni motu eodem, quem antea habebat, situ servato, solo capite in dextrum latus incurvato, inveniebatur, atque a Chirurgis & Pharmacopoeo (Medicus enim huic oppido proximus in urbe 3. horarum spatio distante habitat) confestim accurrentibus omnia his in casibus usitata remedia, repetito at frustra applicabantur. In accurate inspecto cadavere neque macula, neque laesio aliqua apparuit, id vero criticum sane signum, quod spuma os circumflueret, ipsumque os, dentibus plenarie sibi invicem adpressis ita clausum esset, ut non nisi instrumenti ferrei ope deduci posset; quamvis puella non durantibus motibus convulsivis, sed apparente externa quiete ac immobilitate mortua esse crederetur. Post apparentem illam mortem maxillae quidem (ut hic locorum mos est) approximatae fuerant, eo vero tempore, quo puella sarcophago claudebatur, os habebat apertum, neque spuma spurcatum. Ex his satis apparet: puellam hanc apparenter tantum mortuam, convulsivum paroxysmum in se-

pulchro expertam esse, ac, si ante sepulturam cautius cum ea actum fuisset; vitae & sanitati forte restitui potuisse. Accuratiorem in varia mortis signa inquisitionem hoc in casu tum ante tum post sepulturam institutam non fuisse, doleo.

Plura huc pertinentia exempla invenies apud BRUHIER (*a*).

V. Catalepsis.

„ Vidi olim adolescentulam catalepticam, quae in paroxysmo tam tardum & depressum habebat arteriae & pectoris motum, ut ferme evanesceret; erat autem frigidula, omni simul sensu motuque destituta, ita, ut si non observassem ceream omnium artuum flexilitatem, & catalepsi eam laborare ignorassem; eam asphycticam iudicassem. Tusa vena cruor non effluebat, ast ea simul in vulnus expressa; columna vermiformis e cruore coagulato sensim delabebatur. DE SAUVAGES (*b*) ".

Similes casus narrant BACO (*c*), LAZERME (*d*).

Huic

(*a*) L. c. p. 129. 396. 764. (homo praegressis convulsionibus pulsu atque respiratione destitutus, marmoris faciem prae se tulit).

(*b*) L. c. T. I. p. 818.

(*c*) Hist. vit. & mort. tit. Atriola Mortis.

(*d*) L. c. p. 302.

Huic ſubiungo *Epilepſiam*, de qua Cf. BRUHIER (a).

VI. Lethargus, omneſque affectus ſoporoſi.

Ut videre eſt apud BRUHIER (b) inprimis ſi medicamenta hypnotica antea propinabantur, cuius rei memorabile exemplum proditum eſt *in deutſchem Muſeo* (c).

VII. Febres.

„ Virgo generoſa, terrore perculſa febrili ſtatim inſultu corripiebatur. Accedebant anxietates, deliria, lipothymiae variaque phaenomena, donec abſente Medico ordinario reſpiratione, motu, ſenſu prorſus ceſſante, ab adſtantibus vivere iam deſiiſſe iudicaretur. Iacebat enim ſimillima mortuae ſine anhelitu, & cum ureretur & ſecaretur, non ſentiebat. Poſtquam ultra 24. horas mortua iudicata fuit; Medicus rediens, & vitae adhuc ſuperſtitis quaedam, obſcura licet,

(a) L. c. p. 130. 131.
(b) L. c. p. 57. 60. 63. 76. 81. (foemina de Rouſſel abſque omni vitae ſigno ſeptem dies in lethargo tranſegit) p. 85. 139. 140. 513. 724.
(c) *V. St. May.* 1778. *S.* 445.

vestigia in ea deprehendens, resuscitavit quasi defunctam. IOH. GEORG. HOYER (*a*) ".

Plures casus habet BRUHIER, & quidem in *febribus acutis malignis* (*b*) in febri *miliari* (*c*) in febri *petechiali* (*d*) in *Pleuritide* (*e*) in *Variolis* (*f*) in quibus saepius errari notat IANKE (*g*).

VIII. Pestis.

„ Circa annum 1566. Ant. Corn. Bovius annor. XXII. - peste tam vehementer correptus fuit - ut adstantes ipsum iam exspirasse putarent. - Cum octo circiter horarum spatio expositus fuisset, iamque Presbyter, ut illum inhumaret, advenisset; - membra vero nondum plane rigida esse perciperet; mirati sunt valde. - Hinc paullatim excitatus, prorsus restitutus fuit - FABRIC. HILDANUS (*h*) ".

(*a*) Act. N. C. Vol. IV. Obs. XL.
(*b*) L. c. p. 115. 119. 763. (omnes sensus aboliti erant, pulsus ac respiratio deficiebant, totumque corpus frigebat) 764. 765. 767.
(*c*) P. 121.
(*d*) P. 118.
(*e*) P. 116.
(*f*) P. 120.
(*g*) Ibid. Not. d.
(*h*) Obs. Chir. Cent. II. Obs. 95.

In peſte etiam 1357. famoſa iſta matrona Reichmuth viva ſepulta fuit. GEORG. HIERON. WELSCHIUS (a).

Similes caſus narrant ZACCHIAS (b) LANCISIUS (c) BRUHIER (d).

IX. Suffocatio morboſa.

„ Puella ſeptennis tuſſi gravi divexabatur, adeo ut ſuffocationis metus parentes non raro terreret. Liberata poſtea quaſi fulmine tacta, derepente corruit. Accurro & aegram mortuam eſſe ex omnibus ſignis iudico: pallebant enim cum ore genae, pulſus percipiebatur nullus, tempora erant collapſa; commota, vellicata nec minimum ſenſus praebebat indicium. Cum tamen membra flaccida adhuc animadverterem; anceps potius quam nullum adhibendum remedium iudicavi. Ex ore nec minimus halitus emittebatur, ut ex admoto goſſypio, pro exploranda vita, adſtantibus omnibus patebat. Poſt 3. horae quadrantes, continuata frictione, levem trahebat ſpiritum. Sic viva tandem & incolumis parentibus

(a) Syll. Cur. & Obſ. Med. Cent. VI. Obſ. C. (cui effigies hiſtoriae iſtius adiuncta eſt).
(b) Quaeſt. Med. leg. Lib. III. Conſ. LXX. N. 5.
(c) De Mort. ſub. Lib. I. c. 15. N. 2.
(d) P. 110. 114. 714. 715. 717.

exhibebatur, quae adſtantium omnium & meo etiam iudicio exanimis credebatur. IOH. SCHMID (*a*)".

Similem caſum narrat BRUHIER (*b*). Huc etiam pertinere videtur caſus, quem de phthiſico narrat IANKE (*c*).

§. III.

Inter exempla, quibus mortis ſigna illuſtrantur, praeter allata inprimis etiam referenda ſunt exempla eorum, qui ſubitaneis violentiis externis oppreſſi, praeter ſpem ſaepe evadunt. Huc pertinent:

I. Aqua merſi.

„ Puer ſeptennis ultra mediam horam quinque pedum altitudine ſub aquis moratus, tandem extrahitur facie livida, flaccidis artubus, ore & oculis firmiter clauſis, cum immobili ſpuma ad os & nares. Hic, ubi reſuſcitandi laboribus per mediam horam fruſtra exantlatis, homines tamen

(*a*) Ephem. N. C. Dec. I. Ann. VIII. Obſ. XCVI.
(*b*) P. 512.
(*c*) In Not. ad BRUH. p. 11. Not. g.

eosdem indefessi prosequebantur; revixit – Act. HARL (*a*).

„ Vidi puellam, quae cum e puteo protracta fuisset, pro mortua habebatur, utpote omni motu, sensu, pulsu, calore destituta, ea vero – demum ad se rediit. DE SAUVAGES (*b*) “.

Similia adhuc exempla narrant FORESTUS (*c*) BRUHIER (*d*) DE HAEN (*e*) ISNARD (*f*) & quidam postquam aqua mersi erant per quadrantem horae (*g*), per minuta 18. (*h*), 22. (*i*),

(*a*) Part. IV. DE HAEN. l. c. T. XIII. p. 259.
(*b*) L. c. T. I. p. 815.
(*c*) L. c. Lib. XV. Obs. XXV.
(*d*) L. c. p. 158. 159. 164.
(*e*) L. c. T. XV. p. 15.
(*f*) *Heilsamer Unterricht, wie man Ertrunkenen auf die leichteste und sicherste Art wieder zum Leben verhelfen könne. Strasb.* 1760. *S.* 27. 33. (puella annorum XVIII. fluvio mersa erat. Absque omni sensu prorsus erat rigida, oculos habebat clausos, os apertum, colore erat plumbeo, facies totumque corpus tumidum, aqua repletum, pulsumque percipiebam nullum).
(*g*) DE HAEN Rat. med. cont. Pars II. p. 7. 10. BRUHIER p. 154. 720. PLATER l. c. L. I. p. 170. IOH. RUD. CAMERARIUS Syllog. Memorab. Med. Cent. XIII. Part. II. Act. N. C. Vol. VII. Observ. 124.
(*h*) ISNARD. l. c. S. 28.
(*i*) BRUHIER p. 164.

25. (*a*), horam dimidiam (*b*), horam integram (*c*), horas 2. (*d*), dimidium circiter diem (*e*), horas 9. (*f*), 15. (*g*), 16. (*h*), per triduum (*i*), quinimo dies 8. (*k*), ut reliqua exempla, omnem fidem superantia, ut istud 7. hebdomatum (*l*), &c. taceamus.

II. Strangulati.

„ Mulier laqueo strangulata erat, quae respiratione & pulsu iam deficientibus, spuma in-

(*a*) DE HAEN Rat. Med. Pars II. p. 9.
(*b*) DE HAEN l. c. p. 7. BRUHIER p. 154. 155. 162. 167.
(*c*) DE HAEN l. c. p. 7. BRUHIER p. 459.
(*d*) Diss. de cura Mortis Praef. GEORG. DETHARDING. Resp. GEORG. CHRIST. DETHARDING. Rost. 1723. BRUHIER. p. 160. 164. 527.
(*e*) LANGHANS Epist. de caussa a pastu somnolentiae Goett. 1748. MORGAGNI de caus. & sed. Morb. Lib. II. Epist. XIX. Art. 44.
(*f*) BRUHIER. p. 150.
(*g*) Id. p. 151.
(*h*) LANGELLOTUS in Eph. N. C. Dec. I. Ann. VII. Observ. XX. BRUHIER. p. 145. KRUGER (*Naturlehre II. Th. S.* 411. *ff.*).
(*i*) LANGELLOTUS l. c. IOH. KUNKEL in Eph. N. C. Dec. III. Ann. V. & VI. Obs. LXXI.
(*k*) KUNKEL. l. c.
(*l*) LANGELLOTUS l. c.

labrum effusa & omnibus conclamatis - plane revixit. PECHLIN (a)".

„ An. 1492. Conr. Pretznaveri suspensi corpus Facultati Medicae secandum tradebatur - Spuma circa os notabilis aderat & perseverans - Brevi restitutus fuit. IOH. RUD. CAMERARIUS (b)".

Plura adhuc exempla memoriae prodiderunt FORESTUS (c) Histor. Breslav. (d) CAMERARIUS (e) BLEGNY (f) BACO (g) BRUHIER (h) LAVATER (i) & quidem eorum, qui suspensi erant per quadrantem horae (k) per dimidiam horam (l) per horam integram (m) per horam unam cum dimidia (n).

(a) De aeris & alimenti defectu p. 86.
(b) L. c. Cent. VII. Part. XL.
(c) Obs. & Cur. Med. L. XV. Obs. XXV.
(d) Tent. XXIX. Art. 16.
(e) L. c. Part. XXXVIII. XXXIX.
(f) Zod. gall. an. 1680. Mens. Mart. Obs. XI. p. 79.
(g) Hist. vit. & mort. Tit. Atr. mort. §. ult.
(h) L. c. p. 169. 621. 623. 624.
(i) *Aussicht. in die Ewigkeit.* 7. *Brief. S.* 155.
(k) D. TUCHSS. Nov. Act. N. C. T. VI. Obs. LVII. Act. Erud. Lips. Ann. 1709. Mens. Mart. p. 110. BRUHIER l. c. p. 170.
(l) OSWALD GABELCHOVER in SCHENCK l. c. Lib. I. Cap. de Suffocat.
(m) BRUH. l. c. p. 168.
(n) FRANC. XAVER. REBSAMEN Dec. Obs. Med. forens. Vienn. 1780. *Mohrenheim Beob. versch. Chirurg. Vers.* 1. *B. S.* 338.

Idem evenire poteſt a torquibus collum arctius ſtringentibus, ut notabili caſu docet ZETZELL (*a*).

III. Frigore rigeſcentes.

Vix alius ſtatus deprehenditur, in quo apparenter mortui vere mortuis ita ſimiles ſunt, ac ille, qui frigoris enormis effectus eſſe ſolet, ut ſequentes caſus probant:

„ Vir annorum LX. totam noctem in nive poſitus tranſegerat. Pedes frigore plane erant aduſti, digiti pedum omnes coloris erant nigricantis, excepto pollice pedis dextri. Tibiae, crura, brachia, manus, abdomen, thorax & facies tactu percipiebantur perfecte gelida. Maxillae appreſſis dentibus firmiter erant clauſae. Articuli omnes exacte rigebant. Nec reſpiratio, nec cordis arteriarumque pulſus percipi poterat. Quia vero in cordis ſcrobiculo aliquantulum caloris adhuc latere tactu reſcivi; tentandum eſſe credidi, numne ſanguinis circuitus reſtitui, vitaque revocari poſſet. – Poſt 4. demum horas reſpiratio animadverti coepit, pulſus vero non niſi

(*a*) *Unzer med. Handb.* 1780. *S.* 558.

post horas 6., post 7. denique horas maxillae ope cochlearis diduci poterant. SAM. NAUCLER (a)".

„In corpore, quod frigore obriguerat, inveni neque ullum pulsus vestigium, neque ullum respirationis signum, ita ut mortui simillimum esset. Apta tamen remedia intentata relinquere nolui - Sanguis e vena facile fluxit. Perfecte sibi restituebatur. FRANC. XAVER. REBSAMEN (b)".

Sequens exemplum communicavit mihi Exper. Dom. D. REUSS Phys. Stuttgard. meritissimus:

N. N. Glokerin annorum XLVIII. Uracodettingensis die XXVIII. Mart. 1785. frigore ita perculsa fuit, ut pulsus percipi posset nullus, oculi erant clausi, diductisque palpebris pupilla inveniebatur insensilis. Vix interdum parvum respirationis vestigium adesse videbatur. Adhibitis a Chirurgo aulico Rossnagel aptis medicamentis, post duas horas sibilantem sonum edidit, oculos aperuit, pulsus ac respiratio redierunt. Postero die satis bene valuit - ut de nulla iniucunda sensatione amplius quereretur.

(a) *Abh. der Kön. Schwed. Akad. der Wiss. für die Naturlehre Haushalt. und Mechan. auf das Jahr 1755. übers. von Kaestner. VII. B. S. 107.*

(b) L. c. p. 336.

IV. Ex alto lapsi.

„ Nutrix quaedam delirans sublimatum devorat ad drachmae fere dimidium – Nocte media e fenestra, cui cubile, in quo decumbebat, proximum erat, sese praecipitem dat. Corpore nuda gelidissima nocte in pavimentum durissimis lapidibus constratum decidit: illic per horae dimidium exanimis, sine sensu, sine voce, sine pulsibus, & frigore prorsus congelata manet. – Exanimem & pene demortuam in solo iacentem erigunt. – Integre sanata fuit. VALLERIOLA (*a*) ".

„ Ante aliquot annos iuvenis a spiritus frumenti haustu temulentus, e scala praeceps in pavimentum lateribus coctis stratum labebatur; inde statim pro mortuo sublatus, domum deportabatur: neque respiratio, neque pulsus in eo erant perceptibiles; naribus admoti spiritus volatiles nihil efficiebant; a frictionibus non commovebatur, & fomenta omnia irrita erant, pulsus omnino deficiebant; & extrema omnia frigebant. Cum vero Medicus usui praedictorum insisteret; tandem IV. fere horis elapsis, cum ori vi aperto chochlear vini calidi aromatisati iniiceretur, animus ei redibat. SCHNUPF (*b*) ".

(*a*) SCHENCK. l. c. Lib. VIII. Cap. de Sublimato.
(*b*) Diss. de Mortis signis Praes. HERMAN. PAUL.

„ Cath. Soph. Greenhill, puella annorum III. e feneſtra altitudine circiter 12. pedum in ſtratum lapideum delapſa, mortua apparuit. – Nec reſpirationis, nec pulſus ullum veſtigium aderat, & iam 20. a lapſu minuta temporis praeterierant, quum vicinus inſtrumentorum opifex Squire, electricitatis vim tentare cupiens, laborem inciperet – Poſt 20–25. minuta infans debilem ſonum edidit. – Spatio 14. dierum perfecte reſtitutus eſt – CHRIST. WILH. HUFELAND (a) ".

V. Fulmine vel ictu electrico fortiori perculſi.

„ Peter Lukas annorum XIX. domum deportabatur, quum ante horae circiter ſpatium fulmine prorſus enecatus eſſe videretur. Accedens eumque propius inſpiciens inveni eum rigidum ac gelidum neque minimum calorem in trunco aeque ac in extremitatibus percipere potui; digiti manuum pedumque erant contracti, oculi collapſi, facieſque coloris lividi – Septimanae tamen intervallo prorſus ſibi reſtituebatur (b) ".

IUCH. Reſp. Auct. IOH. GEORG. SCHNUPF. Erfrod. 1745.

(a) Diſſ. ſiſtens uſum vis electr. in Aſphyx. Goett. 1783.

(b) *Nachricht. der menſchenfreundlichen Geſelſchaft*

Similia exempla narrantur *in Wunder der Natur* (*a*).

VI. Recens nati asphyxi.

„ Embryulcus quidam in palatinatu infantem, quem post uterinam 14. dierum haemorrhagiam vertendo eduxerat, mortuumque crediderat, quia tamen ex repletis funiculi vasis nondum exsanguem esse concludebat; in vitam restituit; - primordia demum vitae post 40. minutorum laborem advertere coepit - DE HAEN (*b*) ".

Exempla foetus, qui sub partu mortuus esse credebatur & semihorulae spatio post vitae signa dedit, narrat SCHENCK (*c*); alius, qui post tres a partu horas demum vitae signa dedit, BRUHIER (*d*).

Eodem plane modo affici videntur teneri isti infantes, qui violentia externa comprimuntur,

---

vom. Jahr 1778. *S.* 83. Cf. FOTTHERGILL *sämtliche Schriften. I. B. S.* 217. *Not. f.*

(*a*) I. B. S. 140. & S. 140.

(*b*) L. c. T. XV. p. 22.

(*c*) L. c. Lib. IV. Observ. 169. CAMERARIUS l. c. Cent. X. Part. XXVII.

(*d*) L. c. p. 398.

ſuffocantur. Compreſſum ita infantem, qui omni pulſu atque calore deſtitutus, cum omnibus mortis ſignis inventus erat, Chirurgus IANIN feliciſſime reſtituebat (*a*).

§. IV.

Plurimi denique Auctores memoriae prodiderunt exempla, in quibus morbi, quo aeger mortuus eſſe videbatur, mentionem non faciunt, ut PLINIUS (*b*) BACO (*c*) FULGOSIUS (*d*) PETR. FORESTUS (*e*) HENR. KORNMANN (*f*) BEBELIUS (*g*) NOTTNAGEL (*h*) LANCISIUS (*i*) Hiſtor. Breslav. (*k*) WINSLOW

(*a*) Lond. Chronicle 1773. N. 2547. *Unzer Med. Handb.* 1780. *S.* 112.
(*b*) Hiſt. Nat. Lib. VII. c. 52.
(*c*) L. c. Tit. Atriola mortis.
(*d*) De Miraculis L. 1. Tit. de morte ad vitam ſuſcitatis. Cap. 6. p. 495.
(*e*) Obſ. & Cur. Med. Lib. X. Obſ. LXXIX.
(*f*) De Mirac. mortuor. var. loc.
(*g*) Diſſ. de bis mortuis, p. 9.
(*h*) Diſſ. de hominibus apparenter mortuis Pr. THEOD. KIRCHMAIER Reſp. CHRIST. NOTTNAGEL. Witteb. 1670.
(*i*) L. c. Lib. I. Cap. XV. N. 2.
(*k*) Tent. X. Art. XVI. (*von einem 2. mal geſtorbenen Weibe*) Tent. XXII. p. 598.

(*a*) BRUHIER (*b*) DE HALLER (*c*) IUST. CHRIST. HENNING (*d*) ABEL (*e*) *Journal von und für Deutschland* (*f*) *Wunder der Natur* (*g*) in quibus vero longius morari nihil attinet.

Huc etiam ex parte pertinere videtur, quod a pluribus Auctoribus de masticatione mortuorum (*vom Kaven und Schmatzen der Todten in Graebern*) narratum fuit. Inprimis enim in foeminis atque pestis tempore eam obtinere repertosque esse, aiunt, qui vestes suas dentibus discerpserint, corporibus incorruptis manentibus, cuteque, pilis, barba & unguibus crescentibus. Cf. MICH. RANFT. (*h*).

Sine dubio varii soni, lamentationes &c. quae in templis coemeteriisque auditae esse saepius narratae sunt, variisque superstitiosis opinionibus ansam praebuerunt, hoc fundamento ni-

---

(*a*) L. c.
(*b*) L. c. var. loc.
(*c*) Elementa Physiol. T. VIII. P. ult. (de Astronomo Kirchio rem vulgo notam esse ait).
(*d*) *Verjährte Vorurtheile. Cap. von dem Fehlerhaften bey Begräbissen. S.* 348. *Not.* 5.
(*e*) *A. a. O. S.* 37.
(*f*) 11*ter Jahrg.* 2. *St. S.* 157. 175.
(*g*) *II. B. S.* 342. Sub Tit. *Scheinbarer Tod.*
(*h*) De masticatione mortuorum in tumulis.

tuntur, nisi quidem ad vana figmenta tota res redeat. Cf. *Deutsch. Museum* (*a*).

Facile denique patet, varias historias, quae passim inveniuntur de miraculis mortuorum mortuos ad vitam excitantium, ex quibus recentissimum Beatum *Benedict. Ioseph Labre* nominasse sufficiat (*b*), si unquam fabula vera est, inde tantum originem trahere, quod pro mortuis habiti sint, qui vere mortui non fuerint.

CAP. II.

De signis Mortis in genere.

§. I.

Quid generatim de certitudine signorum Mortis statuendum sit?

Praecipua quaestio, quae pluribus hic investigari meretur, est, num generatim signa mortis habeamus certa, an ambigua tantum & vaga, ex quibus de morte vera iudicium non nisi magis vel minus probabile ferre possimus. Nota scilicet est inter Medicos dissensio, qua alii

(*a*) 5. *St. May.* 1778. *S.* 445. *über die frühen Beerdigungen.*

(*b*) *Berlin. Monatsschrift von F. Gedike u. J. E. Biester März.* 1785. *S.* 281.

certa finitae vitae criteria dari affirmant, alii negant. Ab hac ſententia ſteterunt inprimis WINSLOW & Commentator eius BRUHIER D' ABLANCOURT; ab illa LOUIS. Inter hos enim praecipue certamen hoc agi coeptum eſt. Uti pleraeque in re Medica obortae lites media quadam via componi poſſunt, ita etiam haec. Quae ſupra ex pluribus Auctoribus collegi exempla ſat frequentia poſteriori omnino ſententiae favere videntur; verum ſi exempla haec cum tot aliis, quotidie obvenientibus (*a*) conferantur, in quibus ſigna mortis ulterius ſemper progredientia, nullum tandem dubium relinquunt, atque ita ſui certitudinem a poſteriori probant & veriſimilitudo, quam haec ſententia ex allatis exemplis primo aſpectu capiebat, magna ex parte cadit. Deinde negari nequit, ſaepius homines falſo pro mortuis habitos fuiſſe non ob ſigna mortis incerta, ſed ob negligentiam qua haec vulgo indagari ſolent, ut docent exempla allegata; quamvis etiam Medicos magna diligentia inquirentes falli poſſe, conſtet. Omnis autem diſſenſus, ut optime monet Ill. GRUNER (*b*) faci-

(*a*) HEISTER Inſtit. Chir. P. II. Sect. V. Cap. CXIII. p. 758.

(*b*) SEMIOT. P. II. Cap. XII. §. 925. Cf. etiam DANIEL Syſt. aegrit. T. I. p. 173.

facile tolli potuisset, modo varia mortis genera, gradus, tempora cet. bene a se invicem distincta fuissent. Quae itaque generatim de hac re dici possunt, huc fere redeunt: plerumque quidem signa mortis satis certa esse, dari vero etiam exceptiones, ut ita loquar, quae illa interdum incerta prorsus reddant.

§. II.

Signa Mortis combinanda sunt.

Ubicunque in doctrina Medica de signis agitur, id sane maximi momenti est, ut omnia, quae habentur signa collective sumpta conferrantur, neque in unico signo, utut certum videatur, nimia ponatur fiducia. Idem maxime quoque valet de signis mortis, quod etiam Exp. Dom. PRAESES docet (*a*). De putredine, certissimo, ut volunt, mortis signo quid statuendum sit, infra proponemus. Quamvis vero ista nondum apparuerit; nihilo minus plerumque admodum confidenter mortem veram adesse edicere possumus, modo diligenter indagemus, num re-

(*a*) *Abhandl. über die gewaltsame Todesarten. S. 6.*

liqua mortis ſigna, certe evidentiora, adſint omnia, num mortis vere prodromi anteceſſerint, atque inprimis, numne is, de quo iudicium ferendum eſt, in ſtatu verſetur, in quo ſigna mortis incerta eſſe, experientia docemur. Vix etiam errabimus, ſi cum Perill. HALLERO (*a*) in ſola perpetuitate ſignorum mortis coniunctorum, qua eadem ſimul perpetuo increſcunt, certum mortis ſignum ponamus.

§. III.

De quibuſdam caſibus, in quibus ſigna mortis magis vel minus certa ſint.

Exponendum iam eſſet, in quibus caſibus ſigna mortis, generatim conſiderata, certa ſint, in quibus incerta. Verum cum obſervationibus id omne nitatur, eaeque ſupra ſatis prolixe memoratae ſint, iſtuc relegamus. Unum addo, certiora eſſe mortis ſigna poſt morbos chronicos, quam acutos (*b*), ut & in ſubiectis aetate provectioribus, quam in iunioribus (*c*). Magis incerta ſunt ſigna mortis in foeminis, utpote morbis

---

(*a*) L. c. T. VIII. P. II. p. 124.
(*b*) CELSUS de re Med. Lib. II. Cap. V.
(*c*) CALLISEN l. c. p. 275.

nervofis magis obnoxiis, quam quidem in fexu potiori. Dantur porro cafus, in quibus veram mortem abfque ulla ulteriore inveftigatione fignorum mortis dignofcere poffumus, utpote fi quis violentiam perpeffus eft, quam fine ulla exceptione lethalem effe, experientia conftat, ut decollatio, cet.

§. IV.

De certo temporis fpatio, quo praeterlapfo, mors haud amplius dubia fit.

Optabilior quafcunque has difficultates evitandi ratio inveniri non poffet, quam fi certum *tempus determinare liceret, quo praeterlapfo* omne de vera morte dubium fublatum effet. Tempus quoque refpiciunt edicta publica praematuram fepulturam vetantia. Ut vero de reliquis quae talibus generalibus praeceptis iuncta funt, incommodis taceam; id unice dicam, ex folo tempore, quo aliquis pro mortuo habeatur, de vera morte certo iudicari non poffe. Primo enim faepius haud certo determinari poteft temporis momentum, in quo calculi initium faciamus, atque hac ex parte potiffimum errari credibile eft, quando, ut vulgo fieri folet, omnibus promifcue iudicium de aliorum morte permittitur. Si porro

exempla ſupra memorata, inprimis ea, quae de varia morte violenta narravi, mecum perpendam; non poſſum non deſperare de conſtituendo eo universali temporis termino, qui omnem erroris poſſibilitatem excluderet, neque tamen ex oppoſito vehementer noceret. Etenim theoria, qua antiquorum plurimorum terminus ſcil. horarum 72. nitebatur, quod hoc ſpatio omnes humores ſuum motum habeant, quia luna (ut calculo ſatis lato inveniebant), hoc tempore unum Zodiaci ſignum peregerit, cuius vi humorum decurſus in corporibus perficiatur (*a*), iam dudum cecidit. Nihilo minus tantum abeſt, ut aſſentiar eorum hominum gentiumque (*b*) conſuetudini,

(*a*) ZACCH. l. c. Lib. IV. Tit. I. Qu. IX. 11. 46--53. PETR. FOREST. l. c. L. X. Obſerv. LXXIX. Schol. IOH. RUD. CAMERARIUS l. c. Cent. VII. Part. XLIII.

(*b*) Huc referendi ſunt Galli, olim certe (BRUH. l. c.) incolae regionum Europae calidiorum, & Helvetiorum aliqui (De HALLER *Vorleſ. über die gericht. Arz.* 1. *B.* 5. 36.), Turcae; poſt ſex enim a morte horas ſepeliunt, ſuperſtitioſa cura permoti, ne quid mali accidat animae per hoc tempus diſiunctae (Mem. du Baron de Tott ſur les Turcs & ſur les Tartares Par. 1785. p. 66.). Iudaei denique, quamvis enim a temporis anguſtia ortam incertitudinem tot aliis cautelis, quibus uti ſoleant, compenſari aſſeruerit Cl. MARX (Goeking. Journ. v. u. f. D. X. St. S. 227.) & quamvis Hamburgi id forte fieri ſoleat,

qui statim sepeliendo quemcunque pro mortuo habent, suam in vera morte exspectanda negligentiam satis probant; ut id potius afferam, cautelam hanc quamvis maxime necessariam, solam omni periculo auferendo non sufficere. Nimium tamen videtur, quod Ill. FRANK (*a*) ait: ante tempus horarum ad minimum 48. infallibile mortis signum non dari. Conditiones sub quibus homo longius vel brevius in statu: veram mortem simulante, perseverare potest determinavit Cl. BRINKMANN (*b*).

rescivi tamen Iudaeos, in vicinia degentes unice ex eo, lubrico sane signo veram mortem concludere solere, si in plumula, naribus demortui admota motum nullum observare possint. Idem confirmat Ill. BUSCHING (*Berl. Monatsschrift von F. Gedike u. J. E. Biester Febru.* 1785. *S.* 208. *ff. über die frühe Beerdigung der Iuden.*). Eiusdem negligentiae etiam accusandi sunt praefecti variorum Nosocomiorum, de quibus a CRUHIERO l. c. p. 57. 94. 101. 102. 116. 514. 518. 779. & in *Wunder der Natur. II. B. S.* 341. narratur, plures in istis falso pro mortuis habitos fuisse.

(*a*) *A. a. O. S.* 579. *Magazin für. d. gerichtl. Arz. u. Med. Polizey* 14. *St.* 1783. *S.* 999. *I. B.* (*).

(*) Optarem, me dixisse nimium! Sed Auctor praesentis Dissertationis non nisi ex *Diario*, quod citat, tractatum *de periculis sepulturae vivae*, quem *quarto* Volumini *Politiae Medicae* inserui, cognovit, & si hunc *ipsum* legisset, dubium certe omne hac de re depositurus fuisset.

(*b*) A. a. O. S. 159.

CAP. III.

De signis Mortis in specie.

§. I.

Vis muscularis deleta.

Primum hoc signum, quo, aliquamdiu durante, vulgaris mortis determinatio niti solet, omnium maxime fallit, quod etiam exempla supra memorata satis superque docent. Quamvis enim ex motu musculari praesenti, ad praesentiam vis vitalis conclusio sit firmissima; exemplis tamen, maxime deliquiorum patet, illum saepe suppressum vim suam exserere non posse, vita tamen omnino perdurante. Quin immo si vis muscularis in plurimis corporis partibus iam vere deleta fuerit, mortem tamen adesse dici nondum potest, quum immortalis HALLERI experimentis constet, cor vim suam irritabilem diutius retinere, quam omnes reliquos musculos, in cuius demum irritabilitate sublata, veram mortem ponendam esse idem docuit (*a*). Motus muscularis ve-

(*a*) Excipias tamen casus, in quibus origo huius vis irritabilis per violentiam externam vel caussam morbosam internam ita laesa est, ut restitui non amplius possit.

ro non confundendus est cum aliis motibus, qui in cadaveribus chymicarum mutationum effectus sunt (*a*).

§. II.

Irritabilitas.

Vi musculari non tam spontaneae, quam potius irritabilitati deletae attribuendus etiam est laxus hiatus sphincterum, qui in vere mortuis saepius obtinet, signum mortis tamen exhibet aeque lubricum, ac prius (*b*)

Maioris momenti signum ex eodem fonte desumendum est, quod in nullo casu dubio negligi debet (*c*). Deleta vi irritabili etiam musculi maxillam inferiorem ad superiorem ducentes ista privantur. Maxilla inferior itaque sibi relicta (*d*)

(*a*) Exp. D. PPAES. l. c. p. 4. cf. GARMANNUS & KORNMANNUS, qui de miraculis mortuorum scripserunt.

(*b*) HALLER l. c. T. VIII. P. II. p. 123.

(*c*) BRUHIER l. c. Praef. Auct. p. ult.

(*d*) Consuetudo, quae apud nos obtinet, fascia statim post mortem maxillam inferiorem ad superiorem firmandi, non solum situm naturalem alterat, sed etiam obrigescente in hoc situ maxilla, tentamen, cum ea instituendum irritum reddere potest. Huc etiam pertinet usus ligni divaricantis

a superiori removetur. Quamvis vero id forte non fiat, ista tamen, vi abducta, vis irritabilis ac vitalis, si quae musculis adhuc inest, hoc tractu ita irritabitur, ut, cessante vi, maxillam reducat, superiorique admoveat (*a*). Si vero vis irritabilis deleta fuerit; minori vi diduci poterit maxilla inferior, deductaque aut non resiliet, aut certe non plane claudetur, atque non nisi pedetentim in pristinum statum redibit. Maior certitudo etiam redundabit ex hoc experimento, si manu admota musculis masseteribus, eorum actio vel passio accuratius observetur. In iis vero, qui frigore obriguerunt, nullus eius usus esse videtur, quia maxillae saepius plane diduci non possunt. Cf. ex. p. 118. Neque tamen etiam huic signo unice est fidendum. Etenim si musculi harum partium paralytice affecti fuerint, signum hoc fallet. Actio porro adaucta musculorum, maxillam abducentium, ut in spasmo fieri solet, eundem situm isti reddere possent, quem post veram mortem tenere solet. Luxatio denique si locum habuerit, pariter maxilla non claudetur,

---

(*Sperrholz*), quod fere ubique locorum in gravidis emortuis ridicule adhibere solet, ne foetus in utero *suffocationem patiatur*, teste Ill. FRANK (l. c. p. 1003.).

(*a*) DE HALLER. *Vorlesf. über die gericht. Arz. I. B. S.* 37.

quamvis vita adhuc restiterit (a). Post veram etiam mortem vis elastica, contractilis, etiam mortua nonnullis dicta, tanta aliquandiu musculis adhuc inesse potest, ut eundem fere effectum edat, quem vis irritabilis alias producit. Quod denique modo de vi irritabili in corde diutius remanente, quam in reliquis musculis dixi, etiam huc quadrat.

Superest aliud experimentum, quod irritabilitatis eruendae caussa institui potest; id volo, quo detegitur, num pupillae lucis radiis accidentibus adhuc contrahantur, an immobiles sint, de quo idem fere valet, quod de priore.

§. III.

Anaesthesia.

Quum stimulum quendam sentiri, aliis motu musculari tantum indicare possimus, facile patet: quae deletam vim muscularem incertum mortis signum reddant, etiam id, quod ex abolita sensuum actione sumitur, incertum reddere. Ita plura memorantur exempla eorum, qui omnia,

---

(a) Cf. *Tubing. gel. Anzeigen.* 1785. 61. *St. p.* 483.

quae adſtantes dicebant, audientes (*a*) ob denegatam vim movendi ſignificare non poterant, ſe adhuc vivere (*b*). Senſibilitas caeterum in caſu dubio tentari, torpidaque excitari ſolet fricando, vellicando, flagellando, urticando, pungendo, ſecando, cauterio tum potentiali, ut veſicatoriis; tum actuali; laceſſendo aures clamoribus; volatilia, acria ori inſtillando, naribus admovendo (*c*); clyſmata acria etiam ex fumo tabaci applicando, reliquiſque, quibus maximum dolorem in ſanis excitari poſſe conſtat. Excitantia ita fortia certe multum faciunt ad diſcernendam veram mortem ab apparente, ut vix reprehendendus ſit Ill. DE SAUVAGE (*d*) qui poſt ſigna putredinis certiſſimum mortis ſignum iudicat, ſi homo ferrum candens pedibus inuſtum non ſentiat. Neque tamen etiam inſenſibilitatem

(*a*) Auditus enim is ſenſus eſt, qui reliquorum vi iam deleta perſiſtit, ſive quod ad eum minima ſentientis actio requiratur, ut putat Ill. UNZER (*Arzt III. B.* 112. *St.*) ſive quod nervus ſenſorio communi proximus ſit, ſive id ob aliam cauſſam eveniat.

(*b*) BRUHIER p. 126. 135. 766. 767. ABEL. l. c. p. 37.

(*c*) ZACCH. l. c. Lib. IV. Tit. 1. Qu. IX. n. 55. ait: ſi ſternutatoria naribus applicata fuerint, & homo non ſternutaverit, omnium conſenſu pro mortuo iudicandus.

(*d*) L. c. T. I. p. 815.

ad omnem ſtimulum ſufficere docuerunt Ill. WINSLOW, BRUHIER, HALLER (*a*). Idem docent exempla aſphyxiae ſpontaneae p. 118. ſ. foeminae gravidae p. 116. atque id quod affert BRUHIER (*b*). Cum enim ſaepius anaeſtheſia in quadam corporis parte oriatur, ut in paralyſi (*c*), gangraena, catalepſi (*d*) denique ab epidermidis craſſitie aucta; in omnibus his caſibus ſtimuli maximi irriti erunt, quamvis vitam ſimul integram eſſe poſſe, nemo negaverit.

§. IV.

Apnoea.

Reſpiratio ita lente obſcureque peragi poteſt, ut non vulgaris attentio requiratur ad diſcernendam reſpirationem obſcuram a plenaria apnoea. Inde iam antiquitus varia experimenta inſtitui ſolebant, quibus haec diſquiſitio certior redderetur. Scilicet I. candelae accenſae flammam, paleam, pennam mollem, goſſypium aut lanam

(*a*) L. c. T. VIII. P. II. p. 123.
(*b*) L. c. p. 87.
(*c*) Aſtheniae ſine paralyſi in ſphacelum terminatae memorabile exemplum narrat BRUHIER p. 87.
(*d*) LAZERME l. c. p. 318.

cärminatam ori naribusque inconcussa manu admovent, observantes, num moveantur, nec ne? II. Speculum nitidum ac lucidum iisdem partibus adhibent, attenti, num inficiatur, obscuretur. III. Digito admoto inquirunt, num aërem egredientem percipiant. Denique IV. Vitrum aqua plenum thoraci imponunt, animadvertentes, num aqua moveatur. Incertum primum signum esse, monet WINSLOW, quia quilibet vivens vigensque adeo lenes exspirationes peragere possit, ut flamma inde non moveatur. Secundum si adest, ideo lubricum est, quod etiam halitus e vere mortuis egredientes speculum obscurare possunt (*a*). Tertium & quartum nimis rudia sunt. Praeterea solam vim elasticam bronchiorum & vesicularum vicem manifestae respirationis aliquatenus supplere posse, Ill. WINSLOW putat, atque ita in morientibus ac moribundis respiratio terminari videtur. Praeterea exempla p. 113. 116. 118. 131. docent, saepius respirationem ita cessasse, ut neque his experimentis detegi potuerit, atque post satis longum tempus vitam & cum ea respirationem restitutam fuisse. Neque ego quidem video, quid impediat, quin musculi, organo respiratorio dicati idem patiantur, quod reliqui. Motu vero aliquandiu privati, ex

(*a*) Exp. Dom. PRAES. l. c. p. 2.

respiratione cohibita circulum sanguinis quoque suffiaminabunt, indeque cordis motum quidem sistent, irritabilitatem non delebunt. Hinc respiratio non tantum obscura, sed etiam plane sublata, certum verae mortis signum non praebet.

§. V.

Asphyxia strictius dicta.

Pulsus praesens motum cordis vitamque adesse certissime docet; cave tamen idem invertas, atque ex absentia pulsus etiam vitam deficere concludas. Primo enim sanguis ita lente placideque moveri, pulsus ita obscurus esse potest, ut tactu non percipiatur, quod & vita illa minima animantium per hiemem rigentium edocet. Hinc, quod Ill. ZIMMERMANN (*a*) in omnibus morbis communi agendi modo praefert, ut pulsus loco cordi proximo investigetur; his sane in casibus nunquam est negligendum cf. ex. p. 113.; sed in utroque carpo pulsu non percepto; arteriae temporales, carotides, ipsaque cordis regio (*b*) accurate explorandae sunt. Aliis

(*a*) *A. a. O.* 1. *T. S.* 343.
(*b*) WINSLOW l. c. MORGAGNI l. c. Epist. XXIV. Art. 8. LANCIS. l. c. Lib. 1. Cap. XVI. p. 50.

porro cautelis hic locus est : Pulsus ; qui in recto vel inclinato carpo non sentiebatur, reperietur forte in eodem leniter reclinato. Rudior pressio languentem pulsum tactui subducere potest ; cui etiam pressioni tribui debet error, si arteriolarum in propriis digitis micationes perceptae, pro eius, cuius pulsus tangitur, micationibus habentur. Cordis denique pulsum non supino, sed in latus converso corpore inquirendum esse, monet Ill. WINSLOW, quia corpore supino cor spinam versus aliquo modo subsidere, adeoque a costis remotum iam leviuscule, iam vix ac ne vix, immo nullatenus praecordia ferire, quilibet experiri possit, quod quidem experimentis in me ipso institutis verum esse novi ; idemque egregie confirmatur Ill. HAENII experientia, qui observavit (a) sedentibus pulsum celeriorem esse quam iacentibus, plus quidem minusque, semper autem notabiliter, sic ut celeritas $\frac{1}{6}$ $\frac{1}{4}$ $\frac{1}{3}$ parte augeatur sedentibus. Secundo vero, si pulsus vere nullibi percipiatur, indeve sanguinis motum cessasse iure concludatur ; restabit tamen aliquamdiu motus sanguinis intestinus, cordisque irritabilitas ; eius itaque actio aptis remediis forte revocari adhuc poterit. Quam verum id sit, praeter exempla p. 112-123.

(a) L. c. T. XII. p. 57.

127-134. 137-138. quae, poſtquam pulſus longo tempore non percipi poterat, vitam tamen rediiſſe, docent, probant plures Medici, qui aſphyxiam plenariam cum perſiſtentibus adeo viribus obſervarunt, ut D. SEBAST. ALISCHER (*a*) D. LUC. SCHROECK (*b*) D. GEORG. HANNAEUS (*c*) D. FRID. WILH. CLAUDERUS (*d*) D. ANTONIUS VALLISNERUS (*e*) DODONAEUS (*f*) OETHAEUS (*g*) OMNIBONUS (*h*) PECHLINUS (*i*) RAMAZZINI (*k*) MORGAGNI (*l*). Eiuſmodi pulſus tamen potius obſcuros humileſque fuiſſe, quam vere abolitos ſuſpicatur Perill. HALLER (*m*), quales ipſe aliquot ante mortem diebus viderit. Hernia incarcerata afflictis pulſum, ubi periculum ad ſummum gradum adſcendat, ſaepe ita obſcurum

(*a*) *Bresl. Geſchicht.* XIX. Verſ. Art. XI.
(*b*) Eph. N. C. Dec. I. Ann. IX. & X. Obſerv. XCI.
(*c*) Ib. Dec. II. Ann. VI. Obſ. CXXXV.
(*d*) Ib. Dec. II. Ann. VIII.
(*e*) Ib. Cent. V. Obſ. XCIX.
(*f*) SCHENCK. L. c. L. II. p. 479.
(*g*) Ib. p. 85.
(*h*) Ib.
(*i*) Obſ. Phyſ. Med. Lib. II. Obſ. V.
(*k*) Conſt. epid. ann. *1692*. *1694*. §. 23.
(*l*) L. c. Epiſt. IV., 8. XIV., 3. XXI., 33. XXIV., 2. *6*. XLII., 13. XLIX., 14.
(*m*) L. c. p. 123.

esse, ut plane non percipiatur; testatur Ill. RICHTER (*a*).

§. VI.

Sanguis ex vena secta non fluens.

Si a sublato sanguinis motu phaenomenon hoc oriatur; eadem fere istius ratio est, quae asphyxiae. Verum a tot aliis caussis istud proficisci potest, ut quilibet sane cum Perill. HALLERO (*b*) id inter signa mortis incerta retulerit.

§. VII.

Frigus corporis totius.

Sublati sanguinis motus intestini aeque ac progressivi comes esse solet frigus, tactu non solum, sed etiam thermometri ope ab aliis percipiendum, ad magnum plerumque gradum adscendens, ut tamen ab eo, quod in corpore vivo gangraenae symptoma esse solet, distingui non possit. Hinc frigus universale mortis signum praebet

(*a*) *Abh. über die Brüche. I. B. S.* 85.
(*b*) L. c. & Oper. min. T. III. p. 305.

het minus firmum (*a*) quam aſphyxia, quum etiam foeminae hyſtericae frequenter toto corpore frigeant. Inprimis etiam frigus circa praecordia explorandum eſt, exempla p. 113. 138. enim docent, ſolo calore in cordis regione ſuperſtite feliciſſime vitam latentem patefactam reſtitutamque fuiſſe, idque iam GALENUS (*b*) egregie attendiſſe videtur, quum dicat: λεγεται γαρ ἄπνυς και ἄσφυκτος ἐκεινη ἡ ἄνθρωπος γεγονεναι, των νεκρων ἑνι μονῳ διαλλαττυσα, τῳ βραχειαν ἐχειν θερμοτητα, κατα τα μεση μερη τυ σωματος. Calor caeterum etiam in vere mortuis oriri ſolet poſt morbos putridos, ab extravaſato reſolutoque ſanguine (*c*), ab incipiente putredine.

§. VIII.

Spuma oris.

Των ἀπαγχομενων, και καταλυομενων, μηδεπω δε τεθνηκοτων, ὐκ ἀναφερυσιν, ὁισιν ἀν ἀφρος ᾐ περι το σομα (*d*). Quantum a magnis viris vere di-

(*a*) HALLER l. c. p. 124.
(*b*) De loc. affect. Lib. VI.
(*c*) BRINKMANN l. c. p. 106.
(*d*) HIPPOCRATES Aphor. Sect. II. Aph. 43.

cta prosunt, tantum falsa ab iis prolata nocent. Idem dicto hoc HIPPOCRATIS probatur. Quamvis enim etiam hoc dictum aliquid veri habere, & in eo tantummodo falsum esse, quod nimis universaliter assumptum sit, maxime ex Ill. WEIKARDI (a) de apoplecticis iudicio colligam; facile tamen fieri potuit, ut a veteribus in singula HIPPOCRATIS verba iurantibus, aliquis, in quo hoc signum apparuit, falso pro mortuo habitus fuerit. Quod etiam factum esse, docet exp. p. 123. 136. Hinc idem etiam hic omittere nolui. Cum vero non solum pluribus exemplis p. 123. 131. 136. (b) constet, sed etiam iam PECHLINUS (c) docuerit, id non in universum de omnibus, sed de pluribus intelligendum esse; spumam non mortis, sed supremi viventium conatus signum esse, illamque epilepticis & strangulatis familiarem, nullum mortis praebere criterium; longius illi non immorabor.

(a) *Vermischte Med. Schriften.* 1. *St. S.* 108. (*wenn Schaum aus dem Munde tritt, und die obere Theile kalt schwitzen; so ist gemeiniglich alle Hofnung verlohren*).

(b) Cf. etiam SCHENCK L. II. p. 333. & DE HAEN T. XIII. p. 259.

(c) De aeris & alim. defectu Cap. VII.

§. IX.

Rigor articulorum.

In abſentia huius ſigni, inter optima ſane referendi, nimiam tamen fiduciam ponere videtur Cl. LOUIS (*a*) qui ſe obſervaſſe ait: eo ipſo verae mortis momento (*b*), quo omnes vitales motus prorſus ceſſant, imo ante naturalis caloris imminutionem vel certe extinctionem rigidos evadere ſolere articulos, ideoque membrorum in aliquo ſubiecto adhuc ſuperſtitem, flexilitatem, etſi praeter id nulla alia adhuc ſuperſint vitae ſigna, indicio ſatis inſigni eſſe, vitam illud nondum depoſuiſſe. Quamvis enim hoc ſemper maxime ſit attendendum, atque exempla p. 113. 127. 129. 231. doceant: ſola hac cautela ſervatos eſſe, quibus abſque ea ſine dubio pereundum fuiſſet; plura ſunt, quae iſtud ſolum, a reliquis ſeiunctum, incertum reddant. Primo enim notum eſt: haud raro flexibilitatem & mollitudinem vel poſt fata conſiſtere (*c*) inprimis in iis, qui ſtra-

(*a*) Lettres ſur la certitude des ſignes de la Mort, ou l'on raſſure les Citoyens de la crainte d' etre enterrés vivans, Par. 1752.

(*b*) Ante rigorem tamen mortem perfectam eſſe, docet Perill. HALLER l. c. p. 124.

(*c*) GRUNER Semiotice §. 960.

gulorum, hypocausti, aestatis calore foventur (a), vel putridis morbis demortui sunt, ut memorabile exemplum narrat Ill. UNZER (b): vir aliquis febre hectica ex laesione hepatis mortuus erat. Statim post mortem atque per plures dies omnes articuli ita flexiles erant, ut artus non firmati in omnes partes laberentur, omnesque tendines soluti esse viderentur. Absentia rigoris emortualis ortum dedit vulgari nostratium opinioni, qua si quis moritur, cui artus non fiunt rigidi, tum brevi post ex eadem familia alium mori, sibi persuadent; illamque hoc fundamento niti credo, quod tales plerumque ex putridis morbis mortui, miasma putridum etiam in vivos propagare soleant. In infantibus praecipue rhachiticis, flexilitas articulorum post mortem saepius obvenire videtur. Exemplum certe narrat immortalis HALLER (c) COTTUNNI (d). Ipseque in infante annuo tussi suffocativa emortuo

(a) Diss. sistens Obs. de foet. recensuatis iam in utero mortuis & putridis Praes. CHRIST. FRIED. IAEGER. Resp. THEOPH. CONR. CHRIST. STORR. 1767. p. 15.

(b) Hamb. Magaz. x. B. 4. St. S. 534. (Cum febres hecticae sub finem in putridas degenerare soleant (teste *Elsner Beytraege zur Fieberlehre*), exemplum hoc huc pertinere puto).

(c) L. c.

(d) De sedibus variol. BRINKMANN. l. c. p. 101.

perfectam flexilitatem artuum tum statim post mortem, tum 44. adhuc horas postea observavi. Foetus quod attinet in utero mortuos, contrarium adeo in iis obtinere videtur, ut Ill. Archiater IAEGER (*a*) flacciditatem totius corporis articulationumque statum flexilem & pendulum non negligendum indicium praebere affirmet: foetum non amplius vivum in lucem editum esse. Notandum hic etiam est: rigorem post mortem accedente putredine solvi, uti Ill. MORGAGNI (*b*) exemplum cadaveris affert, cuius artus, duobus a morte exactis diebus, erant rigidi, tertio autem exacto non amplius, cadaveraque post multos annos e sepulchretis protracta flexiles habuisse articulationes (*c*). Secundo vero negari nequit, similem rigorem artuum etiam oriri posse ab affectibus convulsivis cf. ex. p. 119. 120. not. d, a tetano, atque in iis, qui frigore obierunt, rigorem a frigore ortum discerni non posse a rigore emortuali. Cf. ex. p. 137. Sic etiam in submersis omnes artus aequaliter rigere, quamvis postea ad vitam revocari possint, adnotat BRINKMANN (*d*) & probat ex. p. 133. not. f. Rigorem tamen

(*a*) L. c.
(*b*) Epist. LII. 35.
(*c*) Comment. Lips. T. III. p. 28.
(*d*) L. c. p. 102.

emortualem a convulſivo differre docet Cl. LOUIS, quod in hoc muſculi deprehendantur duri ac inaequales, atque antagoniſtae contrariam ſiſtant indolem, in mortuis autem corporibus muſculi omnes ſibi ſint ſimiles; quod porro rigor convulſivus tam vehemens ſit, ut membra in ſitum contrarium reponi non poſſint. Vis elaſtica autem, quam in cadaveribus artus ſervent, minus reſiſtat.

Ab hoc rigore etiam ex parte pendet ſtatus iſtae maxillae inferioris, quo poſt mortem a ſuperiore diducta haerere ſolet, v. ſupra p. 151.

§. X.

Oculorum alteratio.

Oculi, ſicuti Phyſiognoniae fundamentum conſtituunt (*a*): ita etiam mortis ſignum praebent, quod eſt ex certiſſimis (*b*). Alteratio ipſa

(*a*) Exp. D. PRAESES: *vom menſchlichen Alter* S. 18.

(*b*) Id. *Abh. über die gewiſ. Todeſarten* S. 5. HANN. T. XIV. p. 14. & 28. LOUIS l. c. ANT. MIZALDI Memor. Cent. VI. Aphor. 76. (oculi primi in extrema vitae periodo, adempta mobilitate, & extincto vigore certa mortis argumenta proferunt, ac prae caeteris emoriuntur).

haec esse solet : splendor eorum perit, hinc vulgo dicere solent : oculi fracti sunt, muco viscido super corneam inducto obfuscantur, immoti rigent : aqueoque humore evaporato, nec amplius regenerato, cornea aliquantum subsidet & quasi corrugatur, quod nostri exprimunt dicto : *das Kindlein ist eingefallen*. Quamvis Ill. DE HAEN (*a*) quod in cane, per duo tantum minuta submerso, corneam opacari coeptam esse, ipse observasset, & Cl. BRINKMANN (*b*) quia in suspensis & submersis, postea autem iterum restitutis oculi vigore pariter privati fuerint, corneaque muco tenaci tecta fuerit, huic certitudini aliquid subtrahere conati sint, & quamvis in variis oculorum morbis similis alteratio observata fuerit ; omnis tamen error cavebitur, si cum reliquis signis hoc accuratius examinetur, addita simul quaestione, num forte subiectum antea vitiis oculorum laboraverit.

§. XI.

Putredo cum suis signis.

Corpus humanum salutari vitae influxu privatum subit brevi resolutionem propriam, quae

(*a*) R. M. cont. T. I. P. II. p. 132.
(*b*) L. c. p. 103.

fermentationis putridae nomine satis nota est. Haec putredo universalis si adest, omnino de vita certissime finita dubitandum non erit. Putredinem autem unicum verae mortis certum signum constituere, quod plures affirmarunt; ut ZACCHIAS (a) WINSLOW (b) BRUHIER (c) DE SAUVAGES (d) UNZER (e) BRINKMANN (f) GRUNER (g) BLECH (h) Ill. BUSCHING (i), equidem mihi persuadere non possum. Rationem ex parte iam supra dedi §. VI. Deinde nec ipsa putredo, ubi incipit certe, signum ita firmum praebet, ac vulgo creditur. Ea quippe sese exserit tum foetore, tum cutis colore mutato in pallidum, subflavum, livescentem, viridiusculum, fuscum, nigrumve, corporis denique universi quadam turgescentia. Foetorem quidem cadaverosum a quovis alio foetore, etiam stercoreo, ut & ulceribus quibusdam proprio distinguendum esse, monet WINSLOW; verum

---

(a) L. c. T. III. Cons. LXXIX. n. 21.
(b) L. c.
(c) L. c. p. 257. 264. 375.
(d) L. c. T. I. p. 815.
(e) *Arzt III. B.* 112. *St.*
(f) L. c. p. 97.
(g) Semiotice Pars II. Cap. XII. §. 950.
(h) Diss. de aeris dephlogisticati usu in Asphyxia. Goett. 1784.
(i) *A. a. O. S.* 112.

iſtum foetorem ſpecificum a foetore, qui ſphacelum particularem comitari ſolet, diſtingui poſſe, nemo contendet. Porro de olfactu forſitan non magis, quam de guſtu eſt diſputandum (*a*). Denique foetor cadaveroſus etiam in vivis praeſto fuit, ut ipſi propriam mortem ſubolſecerint (*b*). Quod mutatum cutis colorem attinet, eum in varia cacochymia, ictero atque melaſictero, petechiis, vibicibus atque anthracibus per totam ſuperficiem diſperſis ita alienari conſtat, ut, ſi ſub mortem ſimilis alienatio obveniat, ea abſque reliquis verae mortis ſignum tantum praebeat incertum. Turgeſcentia denique univerſi corporis non, niſi praegreſſa iam putredine, apparebit, ſaepius aberit, atque ſi adeſt, ab ea, quae in vivo corpore oriri ſolet, diſcerni vix poterit. Neque vero etiam abſentia putredinis ſignum mortis eſt negativum, cum vere mortui per longum ſaepius tempus non putreſcant, imo poſt plurimos annos ſine ullo praegreſſae putredinis ſigno e ſepulcris extracti fuerint (*c*).

(*a*) Ill. IAEGER l. c. p. 14.
(*b*) HALLER l. c.
(*c*) *Brem. Magaz. IV. B. p.* 618. (Cutis caroque exſiccata coriaceae tenacitatis eſſe videbantur, faciei lineamenta omnia erant perfecta. -- Externe nihil neque ſordidi, neque nauſeoſi apparebat --). Comment. Lipſ. T. III. p. 28. (*).
(*) *Plura de putredine, mortis ſigno*, a me dicta

CAP. IV.

Usus huius doctrinae ad praecavendam praematuram sepulturam.

Supereſt, ut hic exponam, quibus publicis inſtitutis effici poſſit, ut ſigna mortis in omnibus caſibus rite attendantur, omneque damnum, quod cives tum ex nimis praecipitata, tum ex iuſto diutius retardata ſepultura, reliquaque apparenter vereque mortuorum cura neglecta capere poſſent, praecaveatur. Quod ſi ex accurata ſignorum mortis omnium ſtatuſque eius, qui pro mortuo habetur, univerſi contemplatione vel minima incertitudinis ſuſpicio oriatur; humanitas certe poſtulat, non ſolum, ut talem hominem in ſtatu ſervemus, in quo vita, ſi quae forte ſupereſſet, non neceſſario ſupprimeretur, verum etiam, ut remedia, quibus iſta forte excitari poſſet, adhibeamus omnia, neglecta etiam vulgi irriſione (*a*).

De praefixo & abſolute determinato temporis ſpatio, cuius ante decurſum omnis ſepultura

---

ſunt in IV. Vol. *Politiae Medicae*, quae ab Auctore nondum lecta, hic tamen repetere non convenit.

(*a*) ZACCH. l. c. cf. etiam exemplum p. 4.

prohibita eſt, quid ſentiam, Cap. II. §. IV. dixi. Omiſſis aliis, quae mihi minus tuta, pluribuſque difficultatibus obnoxia eſſe videntur, huc ſine dubio facit inſtitutum, quo certi homines conſtituantur, quibus omnes, qui mortui eſſe iudicantur, inviſendi ſunt: ut itaque nemo ſepeliri poſſit, niſi ab his pro vere mortuo per ſpeciem documenti declaratus? In illis locis, quibus tam felicibus eſſe contingit, ut Medicus ibi degat, omnino id officii demandandum eſſet Medico ordinario vel domeſtico. Nonne vero in aliis Chirurgi, Ludimagiſtri, aliique qui huic muneri fungendo iudicarentur aptiſſimi (niſi forte ipſi Paſtores ſpirituales hanc ſpartam ſuſcipere non dedignarentur), ſpeciatim hoc munere initiandi, atque de ſignis mortis certioribus ac minus certis, de morbis, in quibus ſigna mortis ſaepe fallant &c. ut non minus de remediis, in caſibus dubiis adhibendis, edocendi eſſent? Nonne his mandandum eſſet, ut ex. gr. cuilibet (dubie) demortuo applicarent veſicatoria, attenti, num haec ſuam vim adhuc exſerant, ut porro ferrum candens plantis pedum infigerent (a) ut clyſmate ex fumo tabaci inteſtina, alcali fluor &c. partes ſenſibiles narium ſtimularent? Forte etiam do-

---

(a) *Weikard vermiſchte med. Schriften. I. St. S.* 111. DE SAUVAGE l. c. T. I. p. 819.

cendi essent de vi electricitatis hunc in finem adhibenda (*a*)? Aeris dephlogisticati usum artificialem his committere periculosum sane esset, cum aer per aperturam in ipso larynge factam immittendus esset, ut suadet Cl. BLECH (*b*). His autem incumberet sane, ut tales ex aere impuro, phlogisticato, mephitico, miasmatico, diu recluso transferri iuberent in aerem purum dephlogisticatum &c. ut *alcali volatil fluor* naribus admoverent, & num quid forte ventriculum subeat, tentarent (*c*), ut brevi omnia caverent, quibus vita in talibus forte adhuc latens plane extingui posset, omnia vero adhiberent, quibus haec vita rursus excitari, atque, ut ita dicam, revocari posset. Nonne his cautelis in iis casibus maxime opus esset, in quibus ex quacunque caussa (quas supra memoravi) de vera morte dubium foret? Nonne hi etiam maxime idonei essent ad suscipiendam curam eorum, qui violentiis externis affecti saepe falso pro mortuis deportantur? Nonne maior etiam ex hoc instituto redundaret utilitas, si viri hi publice consti-

(*a*) HUFELAND. l. c.
(*b*) Dis. c.
(*c*) Experiences propres a faire connoitre, que l'alkali volatil fluor est le remede le plus efficace dans les Asphyxies &c. par Mr. LE SAGE, a Paris 1777.

tuti in litteris ſuis ſemper adderent, quo morbo mortuus defunctus ſit, quae medicamenta ſint adhibita, quis Medicus vocatus fuerit? Similia conſilia dederunt PLENCK (*a*) HENNING (*b*).

Verum cum iſtiuſmodi inſtituta plurimum a peculiaribus, cuivis regioni & loco propriis circumſtantiis pendeant; plura, quae de iſtis generatim dici poſſent, hic non addam.

(*a*) Elementa Medicinae & Chirurgiae forenſis p. 165.

(*b*) *A. a. O.*

ORATIO ACADEMICA ALTERA

DE

VIRTUTIBUS CORPORUM NATURALIUM MEDICIS, AEQUIORI MODO DETERMINANDIS,

Quam die 2. Decembris 1789. recitavit

IOANNES PETRUS FRANK

Sacr. Caes. & Reg. Mai. a Consiliis Gubern. Mediolan. Facultatis Medicae per Insubriam Austr. Praeses, Med. Pract. & Clinices Prof. P. & O. &c.

ORATIO ACADEMICA ALTERA

DE

VIRTUTIBUS CORPORUM NATURALIUM MEDICIS, AEQUIORI MODO DETERMINANDIS.

CUM ultima coram *Vobis* comparendi, dicendique occasio, semper honorifica, ex instituto mihi concessa esset, RECTOR MAGNIFICE, PATRES SAPIENTISSIMI, AUDITORES NOBILISSIMI! *De virtutibus corporum naturalium medicis, aequiori modo determinandis* sermonem institui (*). Eodem fere tempore Vir celeberrimus CULLENIUS, de Materia Medica librum typis mandaverat (**), quo quidem, desideratissimo Medicis omnibus opere, ob literarii commercii cum Anglia his in terris difficultates, non

(*) Oratio Academica, recitata *Ticini* Reg. die 22. mensis Maii 1789. Vid. Delectus Opuscul. Med. Vol. VII. p. 189.

(**) A Treatise of the Materia Medica, by WILLIAM CULLEN, in two Volumes. Edinburgh. 1789.

nisi sub elapsi nunc mensis Octobris finem, potui potiri. Gaudebam mox, Virum de re medica tam bene meritum, eandem fere de Chemico circa remedia iudicio opinionem fovisse, quam ego hoc ipso in loco fusius professus eram. Licet enim egregiae scientiae, in rebus *Materiam Medicam* concernentibus, & abhinc in ipsa Praxi Medica, eximiam utilitatem mecum extollat; fatetur tamen, in multis, circa remediorum virtutem a Chemia non satis tuto posse iudicari (*).

Ast vero, dum utilissimum CULLENII librum attentiori animo perstrinxissem, occurrebant hinc inde aliquae, scrutinio ulteriori non indignae, circa remediorum in agendo rationem, opiniones, quarum maior esse potest in artis salutiferae exercitium influxus; & quae idcirco illorum, qui virtutes medicas ex officio rigorosiori examini subiiciendas habent, potissimam sibi videbantur exigere attentionem. Binas ideo ex illis, pro hodiernae Orationis Academicae argumento, elegi, & quemadmodum easdem *Vestro*, PATRES SAPIENTISSIMI, iudicio lubenter sub-

(*) „ It has, however, been also supposed, that this art (Chemistry) has actually been, or might be, useful in investigating the virtues of vegetable and animal substances; although it does not appear to me to have been in this particular succesful ". Chap. II. Art. I. p. 133.

mitto; ita & CULLENIUM, ſtrenuum ſententiarum medicarum iudicem, quam ſibi ipſi conceſſit, libertatem, in alio non male laturum eſſe, confido.

Ac primo quidem, pro *regula generali* Vir celebris agnoſcit, ſubſtantias omnes, quae nec *guſtu* nec *odoratu* conſpicuis praeditae ſunt, ut actione protinus deſtitutas, ac inutiles eſſe cenſendas: ita ut effectus corporum naturalium in ſolida humana, a qualitatibus eorum ſenſibilibus omnino dependeat (*). Secundum praelaudati Auctoris principium in hoc conſiſtit; quod *actio animalis fermentationis putridae* partem conſtituat (**), & quod, cum per illam alimenta, ut ani-

M 2

(*) „ Upon this, indeed, j reſt ſo much, that j preſume very confidently to give it as a very general rule, *that thoſe ſubſtances wich do not at all affect the taſte or ſmell, and even thoſe wich affect theſe organs in a slight degree only, may be conſidered as inert and uſeleſs*; and that all ſuch ſubſtances should be rejected from the liſts of the Materia Medica, excepting a very few, wich, though without ſenſibles qualities, may, on this very account, be of a nouriſhing, emollient, or demulcent quality ". Chap. II. Art. III. p. 158. 139.

(**) „ There is in the human body, as living always in part upon vegetable aliments, a power whereby theſe aliments, after being ſome time in the body, are conſiderably changed in their

malis oeconomiae operi sint idonea, in *liquidum animale* transmutata sunt, hoc ipsum versus *putredinis* statum constantes faciat progressus, atque ascescentem victum sibi perpetuo, ne in *extremam putredinem* delabatur, exposcat (*).

Quod ad illam sententiam pertinet, quae corporum naturalium effectus in animalem machinam, a qualitatibus eorum sensibilibus, *odoratu*, vel *sapore* manifestandis, dependere, affirmat, plura contra generalem nimis propositionem istam in citatae Orationis propriae secunda parte in medium adduxi, quae ulteriorem eiusdem refutationem reddere possunt, uti mihi saltem persuadeo, superfluam. Cum vero de re tam magni

---

nature aut qualities, being changed into animal fluids; wich are in several respects considerably different from the vegetable matters that were taken in. How this change is effected we do not exactly now; and the only circumstance that tends somewhat towards the illustration of it, is, that a change of vegetable matter, nearly analogous to this wich happens in the human body, is made by its being subjected to putrefaction: aud though we cannot distinctly perceive in what portions of the fluid, more especially in what manner, or to what degree, this is carried on in the body; we may pretty safely conclude in general, *that the animal process is a part of the putrefactive fermentation*". L. c. Chap. I. Sect. I. p. 76.

(*) P. 220.

in Medicina ponderis quaeftio fit, adducam alia quaedam, ex quibus pateat, quod, quemadmodum perpaucae in fcientiis medicis *regulae generales* exiftunt; ita & ab his ipfis non parum maneat refcindendum.

Aut valdopere fallor, AUDITORES SPECTATISSIMI, aut CULLENII opinio, nifi uno faltem ex duobus nunc referendis principiis nitatur, confenfum veftrum fibi vindicare non poterit. Vel enim verum effe debebit, corpora naturalia nullis impraegnata effe principiis in corpus humanum activis, quam quae in fenfus *odoris*, aut *faporis* cadant; vel hoc faltem fupponi debebit, binos, de quibus loquimur, fenfus, ex omnibus folos effe, per quos remediis ad magnos animalium motores, *fenfibilitatem* puto, & *irritabilitatem*, penetrare liceat. Latiffimus interim corporibus, fuperficiem noftram undique circumdantibus, campus patet, quo per diverfas vias in eandem agendi occafionem nancifcantur. Cuftodem natura, tum ad oris cavum pofuit, tum ad narium antra conftituit, quibus noxia & ingrata, excitata ab iftis molefta fenfatione, arceantur; fed uti in humanis rebus aliis contingit, & hic quoque cum IUVENALI exclamare oportet: *pone ferram, pone cuftodes! fed quis cuftodiet ipfos cuftodes?* Nunc enim volubilis palati cuftos ferculorum oblatorum blanditiis cor-

rumpitur ; nunc , quod sapit , nutrire , fallaci iudicio contendit ; nunc vero solvendis per liquorem probatorium , quo lingua madescit , gustandi corporis principiis impar est.

Quid demum est *saporis* , quid *odoris* sensus est , quam illius , quem *tactum* , generali termino nuncupamus , particula , a salibus , & effluviis corporum , diverso modo adfecta ? & cur , quaeso , dum linguam , palatum *saporosorum* , - dum nares *olentium* corporum iudices a natura videmus constitutos , aliarum partium sensationes , non salibus , non volatili , sed alio quodam , ignoto saepius , principio excitandas negabimus ? Nil ergo , quod non sapit , aut olet , *sensibilitatem* nervorum exquisitissimam , aut *irritabilitatem* animalis fibrae movebit : cum tamen *saporis* , *odorisque* sensus vix movens , aut saltem *per* hos non movens , materia electrica , tam magnos in universum corpus effectus exserat ! .. non nisi duo homini sensus dati essent , qui de corporum naturalium in hos ipsos agentium activitate testarentur ! .. praecipue dum illa ipsa tum stomachi tum intestinorum superficies , in quas potentius fere , ac in alias , medicamenta agunt , aliis longe , quam quibus aut *nasus* , aut *lingua* , regitur principiis , - aut saltem ab illis ita afficitur , ut , quem effectum habitura sint , non nisi ab experientia possimus edoceri.

Aſt forte nulla ſunt in corporibus naturalibus, alia, quam, quae *linguae*, vel *naribus* ſeſe produnt, activa principia? .. erunt, dicentem audio, erunt utique; ſed quid, ſi animali fluido, de iiſdem aut ſolvere aliquid, aut ſeparare, quod agat, non permittitur? Quis vero, ut huic difficultati reſpondeam, quis naturae limitem in iſtis poſuerit, ut quae & ex rugoſae quercus duro cortice, & ex molli gramine, & ex ſquamoſa piſcium ſubſtantia extrahere illud novit, quod ſanguinem humanum, ab alio cruore, ex longe aliis parato, a nemine diſtinguendum conſtituet? Nonne orbato oculis homini, de coloribus iudicanti, ſimiles eſſe *ſaporis odoriſque* ſenſus diceretis, qui, quod ipſi tactu non percipiunt, deeſſe affirmarent? Quid demum impediret (nam iuvat hoc exemplo iam alias adducto, iterum hic uti) ut, ſi natura *carnibus* amicitiam, quam cum *ferro Magnes* profitetur, concedere voluiſſet, hic ipſe lapis mirabilis in corpus humanum, quod nunc in Martem facit, ageret: quin aut a lingua, aut a naribus actionis conſcientia haberetur? Sed quis demum ex nobis negare audebit, poſſe ſimile quoddam in corpore nec ſaporoſo, nec olente, principium latere, quod, inconſultis etiam tum palati, tum narium nervis, alias longe partes in conſenſum rapiat? Viperae venenum, quod alias dixi,

nec guſtu fatalem naturam; nec odoratu manifeſtat; ſaliva canis rabioſi non videtur ſapore, odore inſolito notari: & quantas eheu non unica horum, leviori etiam vulneri inſtillata guttula, turbas producit! Quis *contagiorum* materiam ſenſibus imperceptibilem, ob hoc ipſum, in corpus, in nervos, in fibram irritabilem non agere contenderet? Quodſi vero *nocere* haec poſſint; cur alia *prodeſſe* non poſſent, qualitate ſenſibili licet deſtituta? Aquam frigidam bibitis, & urinae copiam non parum auctam, & ſuperadditum ventriculo robur conſpicitis; eandem calidam epotate: ſudoremque promoveri, & ſtomachum relaxari obſervabitis, quin ſapor, aut odor in aqua mutati diverſas has vires in eodem liquido indicaſſent. In *vitro antimonii* nihil eſt, quod linguam, nihil, quod olfactorios nervos, a vino, cui illud diutius immerſum fuiſſet, abſterreret: quamvis a pauca infecti ſic liquidi doſi ſtomachus convellatur. Eadem de variis antimonii praeparationibus aliis dicenda ſunt, quae certe nec ſapore, nec odore ſuam in corpus activitatem manifeſtant.

Sed hoc unum, ne priſtina recoquam, addendum eſt. Si ex ſolo *ſapore*, *odore*, de corporum naturalium futura in noſmetipſos actione concludi deberet: oporteret ſane, ut, quo magis aliquid ſaperet, quo magis oleret, – vel

quo magis saltem odore & sapore ab aliis differret, eo maiorem, eoque magis differentem actionem exerceret. Ergo Prunus Cerasus effectu non procul ab Atropae Belladonae bacca distaret; sal communis longe plura promitteret, insipido, & difficulter solubili mercurio dulci; cortex quercinus febrem intermittentem, gangraenam, longe certius curaret cortice peruviano: quae tamen omnia a quotidiana experientia ultro refutantur (*).

(*) Quod ad *corticis peruviani* virtutem attinet, eam CULLENIUS ex principiis tum *amaris*, tum *adstringentibus* huius remedii repetit, nec *specifici* quid in eodem admittit, aut mysteriosi, dicens: „ I hold il to be established as a fact, that both adstringents aud bitters, in their simple and separate state, have proved *often sufficient* to prevent the recurrens of the paroxyms of intermittent fevers; and that they more certainly do it, when combined together. Both these facts j have not only from the testimony of the most creditable authors, but from particular experiments made by myself for the purpose of ascertaining them: and though j should admit what is frequently aleged on this subject, that such remedies are frequently insufficient, j consider it as a frivolous argument, as a different degree of power does not affect the general question concerning the nature of that power. No body certainly will maintain, the pale bark is not capable of curing agues, because it is not so powerful as red bark ". L. c. p. 91.

Pauca his respondebo. Ex eo nempe, quod amara,

Eſt igitur aliquid in corporum quorundam naturalium compage, quod nec linguae, nec

adſtringentibus nupta, febres intermittentes ſaepe ſupprimant, necdum videor mihi poſſe concludere, corticem, qui amaritie & vi adſtringente longe inferior eſt multis aliis, quae debilius tamen in febres intermittentes agere obſervantur, iiſdem prorſus principiis amaris & adſtringentibus agere. Multa enim, eademque inter ſe diverſiſſima, febres intermittentes ſuppreſſiſſe viſa ſunt, quae cortici, quoad principia, ſunt prorſus diſſimillima. Sic *emetica* brevi ante febrium paroxyſmos porrecta, non modo eaſdem ſaepius praeveniunt; ſed & tunc aliquando curant, quando ipſe cortex abſque effectu fuerit adhibitus. Nec hoc, in caſu oppreſſi a ſaburris ventriculi tantummodo locum habet; ſed &, cum nulla ſigna gaſtrica adparuiſſent, aequalem effectum ſubinde habuit. Sic ſudoribus ante paroxyſmi acceſſionem promotis curſuve excitatis, febris ſaepe ſuffocata fuit; ſic pipere cum ſpiritu vini hauſto, ruſtici, cum periculo licet, ſaepe tamen febrim ſibi fugaverunt: ut fere vix morbus ſit, qui tam contrariis remediis ſaepius cedat, quam febris intermittens. Sed tanta eſt omnium, quae hucuſque nota ſunt, a corticis virtute diſtantia, ut, licet, quae ſubinde prosunt, cum eodem in principiis quodammodo videantur conſpirare, nequaquam tamen hanc ob rationem videantur aequali prorſus lege agere. Ad Practicorum omnium adpello conſuetudinem, an ſub maiori febrium periculo, in febribus perniciosis, ad remedia, cortice licet amaritie & vi adſtringente maiora, auſint confugere? An in febre putrida, in gangraena, ad haec confugere ſibi aſſumant? Quam multa non amaro--adſtringentia hucuſque propoſita, tentata, laudata, --

narium agnoscit iudicium; sed quod virtute longe alia in corpus humanum agere observatur; licet, quid hoc sit, & quo demum modo agat, ignoremus. Rara est (hoc enim fateor) virtus ista, & pars maxima remediorum, quae activitatem in corpus humanum exercent, aut sapore aliquo, aut odore est praedita. Sed *generalem* ideo exstruere *regulam*, qua caetera, his dotibus destituta, indiscriminatim ex *Materia Medica* eliminentur: hoc mihi incongruum,

---

& post paucorum annorum curricula iterum a Medicis iure *derelicta* sunt! Cur igitur virtutem corticis demum ex principiis repetere, quae, in aliis corporibus licet perfectiora, actione tamen comparari divino remedio non possunt? Verum est, simplicem differentiam in *gradu* virtutis, non infringere quaestionem de natura remedii; sed oportuisset prius probasse, *virtutem ipsam*, *eodem* niti principio, quod ipsum in quaestione erat, nec ex aliqua in effectu similitudinis umbra demonstrabile videtur. Solam caeterum corticis *externam* licet, adplicationem, febres fugasse, tum ROSENII, tum PERCIVALII experimentis, notum est; dein longe abest; quin cortex, ut amarum adstringensque remedium, in aliis morbis tanta gaudeat, ac in febribus intermittentibus *praerogativa*: ita ut in illis, si non superetur, aequetur tamen a multis; in febribus vero, de quibus sermo est, mox omnia longissimo tractu post se relinquat: quae quidem res, si ex similibus, utrisque, principiis explicari velit, vereor, ne, conatu etiam maiori, unquam possit.

& arti medicae, quae experientiae, non ratiocinio solitario superfundatur, damnosum videtur. Quam facile sit ex institutis cum aegrotantibus experimentis falsas conclusiones deducere, hoc certe non praetervideo; neque ignoro sane, quae Vir amicus, Ill. ZIMMERMANNUS, atque ipse demum CULLENIUS egregia super his monuerunt, utpote quorum magna hoc in difficillimo opere habenda est ratio. Est interim sua repetitis, inque diversis subiectis fideli & philosophica praecisione institutis experientiis fiducia: neque idcirco, quod largiorem *Materiae Medicae* campum assignare audeamus, amuletis denuo, aliisque vetularum insipidis remediunculis auctoritatem concedemus.

Ad alteram nunc CULLENII sententiam me converto, qua scilicet actionem animalem pro *fermentationis putridae* parte declarat, atque liquidum animale ab eadem productum, nisi acidis subveniatur, in *putridum* abiturum esse contendit. Ut vero mox a principio, in quantum a CULLENIO hic dissentiam, compareat; non diffitebor, ob singularem cadaverum, post certos morbos, in putredinem, conspicuam omnibus, promptitudinem, mihi semper visum esse, ac si vel ab aucto humorum impetu, vel a variis, quae sub his morbis agunt, tam solida, quam fluida corporis ad citiorem a morte dissolutionem

disponerentur. Cum vero *putredinem veram* in ipsis adeo fluidis circulantibus hic varii suppofuissent, experimenta quamplurima instituta sunt a recentioribus, quibus demonstratum satis fuisse arbitror, hanc ipsam opinionem principiis omnino aequivocis esse superstructam. Quid Celebrem Virum, ut oculo diverso rem litigiosam considerare, movere potuerit; hoc quidem ex rationibus ab eodem allatis elucere non video. Ast in hoc eum, si MACBRIDIUM forte excipiamus, caeteris omnibus, qui putredinem in vivo sanguine sub morbis, quos *putridos* vocant, defendere conati sunt, maiora supposuisse, ex hoc intelligimus: quod ipsam, sani etiam animalis actionem in commutandis alimentis, pro *putridae fermentationis* parte consideret. Quod si haec ita se haberent: res facta esset, & in morbis acutis quamplurimis, *putredinis*, *provectae* etiam, nemo amplius, ut puto, praesentiam in dubium vocaret.

Multum tamen abest, quin hanc opinionem amplecti, tum ratio iubeat, tum experientia. Quodsi enim per *fermentationem* intelligatur motus vegetabilis, vel & animalis liquidi, spontaneus, quo proprietates eiusdem in totum permutentur (*); si per *fermentationem putridam*

(*) Sic Cl. FOURCROY Elem. d' Histoire Nat. & de Chimie Tome IV. Chap. XXII. Edit. III.

motus inteſtinus & proprius concipiatur; qui inter partes plantarum atque animalium omnium exoritur, & a quo motu ſeparatio & mutatio ſubſtantiae illarum tandem perficitur (*); difficile erit, hunc motum in vivi animalis circulantibus liquidis admittere. Verum eſt, fermentationis putridae animalis adhuc valde incompletam eſſe doctrinam; interim ſignis ſuis haec ipſa fermentatio non adeo deſtituitur, ut, quando illa deſunt; pro lubitu, & abſque certa experimentorum deſuper inſtitutorum auctoritate, poſſit affirmari. Quamvis enim ipſa haec *putridae fermentationis* ſigna, pro vario *putredinis* gradu, admodum inter ſe differant; ſunt tamen aliqua, ſub quorum abſentia & defectu, non maiori ratione *fermentationem* putridam adeſſe diceremus; quam ſi quis hunc motum inteſtinum in re quavis alia, putredine licet maxime deſtituta, exiſtere contenderet. Effectus citiſſimi, & evidentiores putredinis, tria potiſſimum momenta concernunt; *colorem* nempe, *odorem*, atque *ſaporem*. Sic carnem, quae putreſcit, colorem mox lividum aſſumere & nigreſcentem, — ſaporem adquirere ingratum nobis & nauſeoſum, — foetorem vero emittere videmus penetrantem. Atqui haec omnia de viventis, ſanique animalis liqui-

(*) MACQUER Dict. de Chimie.

dis, vel solidis partibus, ad hanc usque diem, nemo quidem observavit. Nec animalis oeconomiae producta videntur magis huic opinioni favere. Lentissimum, & vix non stagnans in tela cellulosa liquidum, *adeps*, manifestum largitur *acidum*. Ipsa recenter mactati animalis caro, si cum aqua decoquatur, sistit iusculum, quod, post paucas saepe horas, in acidissimum liquorem transmutatur. Fateor quidem, in animalis, vegetabili materia recenter enutriti, sanguine, chylum adhuc contineri posse, qui sibi relictus, & aliqua sub quiete, facile in acidam fermentationem poterit descendere; quodsi tamen acescentes substantiae cum talibus commisceantur, quae putridae fermentationis principium agnoscunt; novimus, tunc vegetabilis succi promptitudinem in propriam, seu acidam fermentationem, potenter arceri, aut saltem retardari. Videntur igitur acida corpori, humano etiam, ingesta, non tam per *fermentationem putridam*, quae in humoribus sanis locum haberet, immutari, quam potius cum aliis commisceri & quasi edulcorari: unde characterem acidum pro tempore deponant; donec, a circulante animalis massa per aliquod tempus segregata, eundem iterum reassumant. Urina, ad putrefactionem, extra corpus posita, admodum prompta, acidum tamen tum phosphoricum continet, tum aliud

proprium, quod magnam calculorum renalium portionem constituit. Sanissimi etiam hominis lotium tinxit, observante BERTHOLLETTO, heliotropii succum rubro colore (*). Quod MACQUERUS de urina illorum dixerat, qui debilius digererent, & quod phaenomenon acido phosphorico debetur cum alcali volatili nequaquam combinato. In urinis hydropicorum, & quorundam, febri intermittenti subiectorum, lotio, sedimenta similem fere naturam, cum, opera egregii MARABELLI usus, in Clinica Ticinensi, elapso nunc anno, in eorundem naturam inquisivissem, ostenderunt. Sudores, praeter manifestum odorem in pluribus morbis acidum, in duobus a BERTHOLLETTO observatis aegrotis podagra laborantibus, chartam coeruleam rubro colore tinxerunt (**). Vestes coeruleo colore tinctae, ad sudantis, aestivo calore, hominis axillas in rubrum semper colorem mutantur. Praecipui igitur, qui ex communi sanguinis massa recenter separantur, humores a putredine satis adhuc distant: ut acidi latescentis naturam, nec quidquam immutatam ostendant.

Sunt

(*) Mém. de l' Acad. Roy. des Scienc. ann. 1781. p. 10.

(**) FOURCROY l. c. p. 363.

Sunt adeo quaedam insectorum species, quae, per certam organorum dispositionem, acidissimum succum ex humoribus suis secernunt. Sic *Phalaena bombyx Mori*, dum *chrysalidis* forma induitur, versus anum, in peculiari loculo, huiusmodi liquidum continet. *Formicam*, inprimis vero *formicam rubram Linn.*, non parvam, ratione corpusculi, portionem acidi separare novimus. Verum est, haec animalcula ab homine, sanguine calido praedito animali, longissime distare; sed tamen *digerunt;* atque *formicae* non parum animali victu delectantur: ut igitur & in his actio animalis super alimenta, *putridae fermentationis* partem constituere deberet. Ipsum vero humani sanguinis serum subinde acidum characterem monstrare, observatio, quam hic adducam, non parum demonstrabit. Serenissimae Stirpis, octodecim annos agens filia, chloroticae constitutionis, tussi convulsiva laboraverat, cum menstrua eidem supervenirent, primo quidem cruenta, altera vero mox die, protinus aquosa, tamque copiosa, ut viginti & ultra, lintea summopere penetraverint. Septem sic diebus aquam puram claramque utero reddidit. Post aliquod tempus, catarrho de novo affecta virgo, multam quoque eiusdem aquae quantitatem pectore eiecit. Redeunt iterum, stato tempore, menstrua, & posthinc aliqua portio aquae, minor

tamen, utero fuit excreta. Menſtrua deinde poſt menſem, & poſt alterum denuo, cruenta fluxerunt. Tertio vero menſe & quarto, loco ſanguinis, aqua pura, copioſiſſima (die prima fluxus menſtrui, qua paucus ſanguis ſtillabat, excepta): prorupit. Tunc vero nobiliſſima puella veſtem intimiorem, quam *caeruleam* gerebat, *colore* omnino *roſeo* fuiſſe tinctam obſervavit, quod quidem non dubium latentis acidi argumentum offerebat.

Sed nec in ipſa, elaboratiſſimi ſanguinis maſſa aliquid offendi, quod de *putrida fermentatione* teſtetur, facile convincemur. Conditio, quae, praeter alias, ad fermentationem requiritur, eſt liquidi *quies* fermentaturi. Ipſa, iam in putrilaginem converſa, & pro longo itinere maritimo in navibus conſervata diutius aqua, ſi per plures horas potentius circumagitetur, putredinem amittit, & redditur potabilis: ut igitur natura, praeter alia circulationis commoda, & hoc iſti beneficium conſociaverit: quod motu liquidorum perpetuo, eorundem vix evitandam alias fermentationem putridam praeveniret. Nec unquam hanc ipſam fermentationem adeſſe concipere licet, niſi aliqua ex fermentante liquore *gazeoſa*, ut hoc verbo utar, vel aeriformis materia explodatur: cuius tamen in ſyſtemate vaſculari nec indicium eſt, nec ſine magno animalis

oeconomiae detrimento esse posset. Caeterum, quaecunque cum sanguine sano ad hanc usque diem instituta fuerunt experimenta Chimica, ea nec minimam de illo putredinis ideam concesserunt.

Cum vero CULLENIUS in ipso adeo *circulante cruore* quid putridi admittendum esse crediderit; non mirabimur certe, eundem, maiorem in morbis liquidorum putrescentiam tunc etiam adhuc defendisse, ubi a praecipuis viris tam infensa nervis liquidorum alteratio, cum successu, ut videbatur, fuerat impugnata (*). Non repetam hic, quae ab aliis hanc in rem dicta fuerunt; sed non tacebo igitur, quae mihi infirma nimis videbantur argumenta, quam ut contra putredinis, in massa sanguinis, sub morbo pu-

N 2

(*) Sic vero in ultima & quarta Operis practici editione se exprimit Auctor: „ from dissolved state of the blood, as it presents itself when drawn aut of the veens, or as it appears, from the red bloods being disposed to be effused, and run off by various outles, and from several other symptomes -- *I have now doubt*, how much soever it has been disputed by some ingeinous man, *that a putrescency of the fluids to a certain degree does* really tak place in many cases of fever ". First lines of the Practice of Physic, Vol. I. §. 72.

trido latitantis theoriam, ferio debuiffent adduci: non enim, dum veritatem defendimus, fallacibus experimentis indigemus: cum pauca etiam fufficere queant ad quemvis convincendum, dummodo veritatis figillo fuerint corroborata.

HAENIUS quidem detractum in morbis, licet putridiffimis, fanguinem, unquam vel minima putredine notatum obfervavit (*). LINDIUS, praeftantiffimus de Scorbuto Scriptor, in noviffima Operis fui editione, fateri, contra fe ipfum, debuit: nullam in fcorbuticorum fanguine putredinem exiftere, aliafque haemorrhagiarum, & ftatus cruoris fluidi, cauffas effe debere, quam putredinem.

Sed ego lubenter concedam, hoc folo argumento putredinis exiftentiam non protinus deftrui. Recte enim POERNERUS monuit: per *putredinem* non mox atque femper, evidenter generari materiem alcalinam, quamvis per revolutionem in putrefcente corpore contingentem, tandem fubftantia volatilis, alcalina, quae perfectioris tantum & iam abfolutae putredinis effectum fiftit, enafcatur; nec femper certe, ex infigni licet *foetore*, ad praefentiam alcalinae fubftantiae poteft concludi; nec foetor in ra-

(*) Rat. Med. P. VIII. C. IV. p. 236.

tione putredinis progreditur (*). Apud quasdam substantias animales *alcali* illud *volatile*, neque ab initio, neque sub finem, potest detegi (**); quamvis interim ex hoc concludi non possit, *alcali* hoc *volatile* necessarium ideo non esse putredinis productum; potest enim, observante CRELLIO, alcali volatile, partibus oleosis unitum, non apparere, cum acidis non effervescere, & syrupum violarum viridi colore non tingere; quamvis verissime adsit, & sub putrefactionis progressu, vinculo suo liberetur, & tantummodo evolvatur (***); ita ut in omni putrefactione dispergatur verum, sed involutum adhuc alcali volatile; quamvis communi methodo non queat demonstrari. Instituta igitur hucusque ab HAENIO, aliisque, cum sanguine in febre putrida emisso experimenta, necdum deficientem in eo putredinem, ex hoc saltem argumento demonstrant, quod scilicet alcalinum & volatile cruoris examinati principium nequiverit demonstrari. Quod si etiam non foetor omnis, quod BURSERIUS recte monuerat (****), alca-

(*) MACQUER l. c. T. 2. p. m. 182.
(**) GABER, acta Taurin. Vol. I. p. 78.
(***) Chemisches Journal. I. Th. S. 158.
(****) Inst. Med. Vol. I. §. 257.

linam naturam habeat; neque odor alcalinus omnis foetor dici possit; videtur omnino, contra *putredinosam* in morbis, quos putridos dicunt, humorum naturam, ex eo necdum multum probatum esse: quod & animalia viva, & plantae virentes foeteant, quorum caussa foetoris in alcalino principio non residet.

Quodsi vero similia quidem argumenta contra CULLENIUM aliosque multos nihil faciant; non tamen ideo ab unius argumenti claudicatione, veritatem contrarius demonstrasse censetur; & miror perspicacissimum alias virum, qui *fluidorum* vitia non tam saepe, ac quondam supponebant Medici, locum habere, & frequentius *solida*, quam humores turbarum caussam sistere, recte docuerat; ubi de *putredinis* hypothesi quaestio fuit, eiusdem se strenuum defensorem exhibuisse: cum tamen nulla, in morbo, etiam pro putridissimo habito, phaenomena occurrant, quae non ex solidorum compage alterata, exque turbato nervorum, per contagiosam, aut venenatam, non tamen ideo *putridam*, materiam, felicissime queant explicari. Cedente, ob imminutam fibrillarum muscularium, quae arterias circumdant, irritabilitatem, aufugiet sanguis per dilatata vasorum oscula, aut per ipsos adeo eorundem poros inorganicos, & haemorrhagias, echymoses, maculas, petechias omnino producet. Compacta

cruoris natura ab ipsa vasorum reactione non parum certe dependet: qua per quamcunque caussam, infracta, sanguis fluidiorem naturam retinebit; licet & aliae plures hic caussae subesse queant, quarum natura, sub contrariis adeo circumstantiis, eosdem producit effectus. In multis certe morbis inflammatoriis sanguinem detractum non coagulari conspexi, coagulatum vero in ipso adeo scorbuto lethali, & crusta phlogistica obtectum, inveni.

Fermentationis putridae effectus sunto animales humores! erunt hi profecto evidentiores longe in illis animalibus, quae ipsa animali substantia fere sola sustentantur. Atqui nec in his vel minima putredinis signa comparent; & si Medici complures monuerint eos inprimis homines in putridos morbos esse procliviores, qui animali magis victu delectantur: hoc ego quidem in quinque Provinciis, in quibus artem Medicam exercui, falsissimum semper deprehendi. Ubique nempe inter illos frequentissimas fuisse febres sic dictas *putridas* deprehendi, qui vix aliquot in anno diebus, extremis labris carnem gustaverant, &, ob res domesticas angustiores, solo vegetabili victu contenti vivebant. Atque haec in ipsa adeo *Italia*, in qua, si *Angliam* forte excipiatis, plus carnis ac in ulla alia Europae regione a ditioribus consumitur, vera

esse observavi: ut inter hos non maior certe putridarum febrium proventus numeretur, quam inter *Gallos*, *Germanosque Populos* deprehendi: cum interim apud plebem, his in locis sola oryza, pane ex Mays confecto, paucisque vegetabilibus, enutritam, frequentissima febrium, quas putridas adpellant, exempla observentur. Nec adeo ad paludosas regiones, in quibus putridas exhalationes accusare liceret, hae febres restringuntur: nascuntur enim & in siccissimis altisque montium locis, & saepe sub frigidissimo caelo tam feroces observantur, ut priusquam vernali pluvia tellus madescat, continuo passu increscant. Recte a recentioribus quibusdam exhinc dictum est, has febres, a subtiliori *contagio* natas, Carcerali Nosocomialique febri, tum quoad originem, tum quoad progressus, in omnibus esse similes, & hiemali sub frigore, quo angustiori, licet frigido cubili recluduntur rustici, praecipue augeri. Verum est, atmosphaeram a maiori numero angustiori in loco viventium rusticorum, non parum corrumpi, putridisque exhalationibus infestari; ast vero non has ipsas esse, quae Carcerum, quae Nosocomiorum atmosphaeram inquinant, Illustrissimi Viri & Collegae nostri ALEXANDRI DE VOLTA experimentis, in Ticinensi Nosocomio ante tres fere annos institutis, apparet: quibus evictum fuit, atmosphaeram No-

ſocomii aegrotis repletiſſimi, cuius feneſtrae per totam noctem clauſae fuerant, non magis impuram fuiſſe atmoſphaera, in qua ſat ſanam degunt vitam alii: cum interim longe frequentius tunc temporis, quam nunc, infenſa illa febris, in dicto Noſocomio appareret.

Non ergo putridum eſt, ſed longe quid aliud eſt, cui forte illud ipſum ſaepe pro vehiculo inſervit, quod febres, quibus *putridarum* nomen eſt, generare conſuevit: praecipue dum experimenta recentiſſima cum animalibus ab Ill. FOURCROY ſuſcepta, abunde probent, a minima putridorum particula ad maſſam ſanguinis advecta, inſtantaneam mortem provocari. Iniecit hic ſanguinem putridum, ſerum, bilem putridam, iam turbida & admodum foetentia, in venas quadrupedum varias, praecipue in venam cruralem, iugularem, & axillarem. Conſtanter autem, a prima liquidorum iſtorum cum ſanguine ſic commixtorum gutta, mox horribiles convulſiones, & poſt aliquot minuta ſecunda, aut ſaltem poſt quinque vel ſex minuta prima ab iniectione, ipſam mortem fuiſſe inſecutam obſervavit: antequam duae tantummodo putridi iſtius fluidi drachmae venis fuiſſent iniectae. Cum vero eaſdem materias inieciſſet ſub cutem, & in celluloſam telam; diverſi admodum ſequebantur effectus, ſupervivebant quidem animalia; ſed

alia difficulter membra movebant ; alia leves experiebantur convulſiones ; pars maxima adpetitum perdebat , & in eodem ſitu iacens animal , per aliquod tempus hoc in ſtatu permanebat . Ubi tamen experimentum ad collum , vel ad thoracis regionem , ad illam abdominis ſuſcipiebatur , plura ex animalibus morte fuerunt perempta (*).

Haec omnia videntur abunde ſatis docere , putridi generationem in ipſis venis , in vivente homine , ſine inſtantaneo vitae diſcrimine locum nequid in morbis habere ; quare & ex ipſis adeo veteribus Medicis quidam de putrido in ſanguine, receptae tunc iam theoriae noluerunt conſenſum porrigere , dicentes : *febrim in univerſum nunquam a putredine fieri , & humores in venis exardeſcere quidem , ſed nunquam poſſe putreſieri* (**) . Quodſi vero in ipſis adeo morbis , quos *putridos* ſalutamus , putredo deſit in ſanguine : gratis omnino aſſumpta videtur a CULLENIO , in ſano adeo homine putreſcens ſanguinis alteratio ; & ſi aceſcentium in victu tanta

(*) Mém. de la Société R. de Méd. Vol. IV. p. 498.

(**) Apud ALEXAND. TRALLIAN. de arte Medica C. II. p. m. 133.

apud hominem ſit neceſſitas: videtur haec ex aliis longe principiis, quam ex metu putredinis, a natura fuiſſe praeſcripta. In *ſcorbuto* certe non acida ſolum iuvant, ſed proſunt ipſarum etiam, quae alcalino principio indutae ſunt, plantarum *tetradynamiarum* ſucci; dulcia proſunt, & ipſum adeo gramen, in Urbium obſidionibus neceſſitatis cauſſa comeſtum, profuiſſe viſum eſt: ut forte aliud longe in plantis principium hic agat, quam illud, quod putredinem ſuppoſitam avertere fuit creditum.

Vos nunc, qui Sermonis Academici occaſionem dediſtis, egregii Apollineae artis Candidatos, Te FLORIANUM DUNIN DE WASOWICZ *Nobilem Polonum*, atque Te PAULUM VITANI, adpello, ut meis ex manibus ſupremos in hac ipſa honores ſuſcipiatis. Vos maturi iam Viri iudicii ardore iuvenili difficultates ſcientiae ſalutaris feliciter ſuperaſtis. Tu FERDINANDE fertilem *Poloniam* cum *Italia* commutaſti, & facta literarum in hac ipſa ditiſſima Segete, patrio mox agro foecunda ſemina committes. Spargite felici ſub augurio! Tu PAULE nobiliſſimae Scientiae, *Chirurgiae*, quam ultra viginti iam annos cum maxima laude coluiſti, honoribus iamiam coronatus, medica Te Laurea non minus dignum exhibuiſti, & ſic artes, quas tempora ſcientiis infauſta non ſine damno Societatis

ab invicem ſeparaverant; coniunxiſti. Favens. Vobis rideat Apollo! cuius Lauream vertici Vobis impono. En librum! ... *ars longa*, inquit, *vita brevis*, *occaſio praeceps*! hanc non amittite! cingite digitos *annulo*! fidelitatem moribus, aſſiſtentiam miſeris hoc ſigno iuratis. Valete!

GUILIELMI GODOFREDI PLOUCQUET

MEDICINAE IN UNIVERSITATE TUBINGENSI

PROF. PUBL. ORD.

ET

GEORGII FRID. BROTBEK

RESPOND.

NOVA PULMONUM DOCIMASIA.

Tubingae 1782.

§. I.

Rei momentum.

QUanti momenti iuſtum de neonatorum vita, qua ſub partu, vel poſt eum gaviſi vel orbati ſunt, iudicium ſit, ſatis ſuperque commonſtrant graviſſimae cauſſae forenſes, quarum cardo haud raro in ea re fere ſola vertitur.

Duae praecipue cauſſae ſunt, in quibus Iudicem de vitae iſtius praeſentia vel abſentia convictum eſſe oportet.

Prior attinet ad infanticidium, vel potius

inquisitionem in illud, ubi scire omnino interest, an infans, iam mortuus, sub partu vel post partum vixerit, adeoque an idem atrocis istius *delicti obiectum esse potuerit nec ne*?

Altera caussa pariter saepe sat gravis, quin gravior est, quando de capessenda & transmittenda haereditate agitur, cum infans ante partum vel sub partu (*a*) mortuus, eam non transmittere, ne testamentum rumpere possit, nec tamen semper de curta pauperum supellectili ludatur.

§. II.

Necessitas signorum vitae post partum.

Has ob rationes eximii nostra in arte Viri a longis retro temporibus in eo desudarunt, ut ambigua de vita infantis signa removerent, certa statuerent; tantum non omnes autem solum infanticidium ante oculos habuisse videntur, licet

(*a*) Cod. L. III. Tit. XXIX. l. 3. Si vivus perfecte natus est &c. & LAUTERBACH ad L. I. T. V. §. XXVII. „ Si ergo in ipso partu infans moriatur, & non totus ad orbem vivus procedat, nec succedere potest, nec haereditatem ad haeredes transmittere “.

alter casus istorum signorum certitudinem aeque postulet, ac prior (*a*).

Cum de signis vitae neonati sermo est, desiderantur eiusmodi, quae *post mortem perstant*, & tunc adhuc pro vel contra eam caussam militare possunt; fit enim saepenumero, ut Iudex, nisi testes fide digni & omni exceptione maiores vitam infantis post partum affirment vel negent, incertus haereat, iudiciumque tamdiu suspendere cogatur, donec praelucente face medica tenebrae dispergantur, & ipse, filo quasi ariadnaeo ductus, ex isto labyrintho evadat.

Quid enim, si testes, qui partui interfuerunt, sibi contradicant, si stupidiores, inscii, negligentes, si infantes fuerint, si ipsis in caussa propria fides haberi nequeat? His omnibus in casibus ad physicas illustrationes recurrendum est.

Sunt quidem nonnulla vitae signa edita, vel pro talibus saltem habita, quae ab ipsis Medicis in dubium vocantur; ita insignes Auctores *motum artuum* post partum nonnunquam pro apparente tantum, pro ultimis convulsionibus infantis iam sub partu mortui habuerunt:

(*a*) Vide Tractatum meum *über die physische Erfordernisse zur Erbfahigkeit der Kinder*. §. 66.

Sic Cel. ESCHENBACH (*a*) memorat artuum motum apparentem, qui dubium movebat, in neonato, revera (ut credit), mortuo nato.

ROEDERER (*b*) aliqua exempla infantum neonatorum producit, qui & artus & diaphragma moverant, immo quibus cor pulsaverat, qui tamen nullo modo ad respirationem & vitae continuationem adigi poterant, unde iam tum revera mortuos fuisse, existimat.

Ill. CAMPERUS (*c*) possibile esse ait, ut infans sub partu moriens, & brevi post editus, nonnullos motus convulsivos maxillarum, brachiorum & femorum edat, vita vera interim absente, residua tantummodo irritabilitate fibrarum muscularium, quae etiam post discessum animae e corpore supersit; eapropter motus istos, etsi a testibus fide dignissimis visos, vitam infantis post partum nullatenus comprobare, dummodo pulmones in aqua subsideant: quin fieri posse, ut post veram mortem aliqui adhuc pulsus observentur.

Sive iam cum citatis credas, eiusmodi in-

(*a*) Medic. Legal. p. 794. ex Ge. CHRIST. DETHARDING Diss. de cautione Medici circa casus infanticidiorum.

(*b*) De suffocatis,

(*c*) *Von den Kennzeichen des Lebens und des Todes bey neugebohrn Kindern. S.* 74.

fantes revera non vixisse: motusque observatos non nisi irritabilitatis superstitis effectus fuisse; sive mecum statuas, neonatos istos vere vixisse, sed ante respirationis exercitium demortuos esse, utrobique alia adhuc desiderabuntur signa, quae etiam *post mortem* doceant, an vita post partum adfuerit?

§. III.

Unde eiusmodi signa peti queant?

Actionum, in quibus vita consistit, aliae sui vestigia relinquunt, aliae non:

Motus muscularis, usus que sensuum, qualiscunque fuerit, perit cum vita, nec post mortem signa dantur, quae eos viguisse doceant: ad alias ergo functiones nos vertamus, necesse est: & si circumspiciamus; unicam deprehendimus, quae semel peracta, etiam post mortem manifesta sui vestigia relinquit; respirationem puto, & insignem illam ex hac sequentem circuli sanguinis mutationem.

§. IV.

An foetus respiret?

Respiratio, si ante partum exerceretur, inter signa vitae post partum referri non posset, qualiacunque etiam vestigia relinqueret:

Verum, foetum utero clausum non respirare, a priori aeque evidens est, ac a posteriori idem per phaenomena, omni exceptione maiora confirmatur. De eo vero aliqui dubitarunt, annon foetus, mediis licet in aquis haerens, obscuros quosdam motus exerceat, quibus ad respirationem se quasi praeparet? in quam sententiam etiam Physiologorum Principem, BERNHARDUM SIEGFRID ALBINUM, pronum fuisse, memini.

Quicquid autem id sit, foetus certe, utpote aere atmosphaerico interclusus, huius particeps fieri omnino nequit, adeoque omnes illae historiolae de foetibus in utero vagientibus, a compluribus scriptoribus allegatae, a SCHURIGIO (*a*) & DE HALLER (*b*) collectae, vel pro meris commentis habendae, vel ad vitia subreptionis referendae sunt, unico tamen casu excepto, cui etiam DE HALLER (*c*) adstipulatur, inquiens: ,, vagitus uterinos, si vere aliquando sunt exauditi, videntur peculiarem poscere casum, in quo membranae quidem ruptae sint, quod non infrequenter ante partum fit, & perpetuum est in partu longo & laborioso, in cuius principio aquae effluxerunt; & in quo ni-

---

(*a*) Embryologia p. 161. sq.
(*b*) Elem. Physiol. L. XXIX. Sect. IV. §. 54.
(*c*) L. c.

hilo secius aliquot post dies foetus adhuc vitalis sequitur. Si aeri modo accessus datus fuerit, & praeterea caput eo modo conversum, ut aerem de vagina habere potuerit, posset demum dari, foetum & respirare posse & vagire ". -

§. V.

An foetus sub partu aerem capere possit?

Foetus sub partu constitutus dici potest, simulac vertex ille, quo sutura sagittalis cum lambdoidea coit, vel alia corporis pars e dilatato uteri gravidi orificio prodiit. In his iam primis partus initiis pariendus respirare omnino nequit, cum aer nondum ad eos naresve eius penetrare potuerit; simulac vero caput vel integrum, vel ad mentum usque orificio uteri elapsum est, tum aeris accessus ad vias istas possibilis utique erit, licet, tum, si os naresve ad vaginam stricte apprimuntur, ingressus aeris in eas hactenus denegetur. Possunt autem & alii situs pro foetu in vagina haerente excogitari, qui aditum aeris permittunt.

Cum autem ad ipsum actum respirationis exercendum thoracis dilatatione opus sit, dubitant plures, an huius, in utero adhuc haerentis cavum augeri possit?

Ita ESCHENBACH (*a*) infantem femi-exclusum auram intrahere minime credibile aestimat, ROEDERERUS pariter negat, nec non Ill. CAMPERUS (*b*), additis argumentis, quod ipse, qui partubus quamplurimis adstiterit, infantem seminatum nunquam vagientem deprehenderit, quod ii, qui tale quid audivisse sibi persuadeant, rem non bene diiudicaverint, ob velamenta, queis parturiens tecta esse soleat, quod denique, posito quoque libero aeris accessu in vaginam, infans thoracem dilatare non possit, propter contractionem uteri mox insequentem, qui thoracem infantis semper bene compressum detineat. Verum enim vero, cum ad dilatandum thoracem non absolute necesse sit, ut costae eleventur, quod quidem CAMPERUS (*c*) praecipue urget: depressio aliqua diaphragmatis scopo huic sufficiet, cuius quidem possibilitas, cum pressio in partes tantum molles agat, negari non potest. Deinde, quod magis perpendendum, uterum non semper post exclusam partem foetus, vel post effusas aquas, quin interdum nec post editum partum integrum cum secundinis *statim* contrahi, unde parientes periculosis-

(*a*) L. c. §. 136.
(*b*) *A. a. O. S.* 55. 56.
(*c*) *A. a. O. S.* 58.

ſimis haemorrhagiis exponuntur (*a*). Denique LE ROUX (*b*), obſervator fide digniſſimus, reſpirationem infantis, cuius *caput ſolum* utero elapſum erat, obſervavit, ipſoſque vagitus audivit, ut itaque de poſſibilitate reſpirationis, ſolo capite excluſo, reliquo vero corpore utero adhuc incluſo, dubitari amplius non poſſit.

Quibus ita ſe habentibus, ſponte fluit, infantem, cuius caput e vagina egreſſum eſt, corpus vero ex parte in hac adhuc haeret, eo magis reſpirare poſſe, cum iam in vagina ipſa etiam diameter horizontalis thoracis aliquantum augeri poſſit. DE HALLER (*c*) docet, vagitum omnibus infantibus ſolennem eſſe, quamprimum caput de vagina prodiit.

§. VI.

Infans ordinarie poſt partum reſpirat.

Licet reſpiratio dictis modis, §§. IV. & V. peragi poſſit, iidemque modi in cauſſis forenſibus haud exigua moveant dubia, fit tamen ordinarie, ut infantis, capite ſemel excluſi, par-

(*a*) LE ROUX ſur les partes de ſang. &c. *S.* RICHTER *Chir. Bibl. B. IV. S.* 98.
(*b*) Ibid.
(*c*) L. c. §. 55.

tus quoad reliquum corpus tam velociter abſolvatur, ut dicere poſſis, primam inſpirationem non niſi abſoluto partu exerceri ſolere, quam mox exſpiratio cum vagitu iuncta ſequitur.

§. VII.

Reſpirationis effectus.

a) Proximus & primus inſpirationis effectus eſt extenſio bronchiorum, & ſequens dilatatio cellularum aeriferarum, quam, cum hae partem pulmonum inſigniorem conſtituant, ut augmentum voluminis per totam pulmonum ſubſtantiam ſequatur, oportet.

Exſpiratio ſubſequens, ſi omnem iterum aerem e pulmonibus fugaret, hi in priſtinum fere anguſtius ſpatium ſe contraherent: cum autem inde a prima reſpiratione notabilis aeris quantitas, nulla arte perfecte exprimendi, in pulmonibus reſtet, fit, ut acquiſitum *volumen maius* perſtet.

Hinc pulmones, reſpiratione functi maius in thorace occupant ſpatium, pericardium plenius velant; cum e contrario pulmones, qui aerem nunquam capeſſerant, ad ſpinam dorſi retracti appareant, pericardiumque malignius tegant.

An vero, ut Cl. DANIEL vult, ipſa thoracis peripheria per reſpirationem augeatur (a), ut exinde reſpiratio infantis facta vel non facta diiudicari poſſit (b), vehementer dubito.

Thorax determinat pulmones, non hi thoracem. VESALIUS (c) iam dixerat: „ thorax tam amplus eſt, quantam pulmonis molem eſſe oportuit. At pulmo interim thoracis ſequitur formam, non autem thorax pulmonis ".

Deinceps, quid quaeſo, quae vis thoracem dilatatum tenere poteſt, poſtquam exſpirando in priſtinum ſtatum ſe reſtituit, an molles pulmones, tantae reſiſtentiae nequaquam pares, an aer, cui ampla per tracheam fuga patet? an muſculi qui dilataverant, nunc vero quieſcentes?

Et nonne ipſum illud maius ſpatium, quod pulmones iam in thorace occupant, ſufficit pro nova hac pulmonum expanſione? Porro, ipſius thoracis per reſpirationem acquiſitum volumen maius plane impoſſibile erit, niſi ſtatuere velles, eum ex prima inſpiratione revera increviſſe, coſtas & cartilagines elongatas

(a) In Commentatione de infantum nuper natorum umbilico & pulmonibus p. 183.
(b) Ibid. p. 199.
(c) De H. C. Fabriba. L. I. p. m. 111.

fuisse, quod certe absonum est: adeoque incrementum thoracis inter effectus respirationis permanentes numerari non potest.

b) Ex eadem cellularum aeriferarum expansione sequitur mutatio coloris, quam GALENUS iam cognovit (*a*), qui substantiam carnis pulmonis ex rubra, gravi ac densa, in albam, levem ac raram transferri dixit.

c) Aeris in pulmonibus, respiratione gavisorum praesentia gravitatem ipsorum specificam sive relativam mutat, ut, qui antea in aquis fundum petebant, nunc natent, id quod vulgaris docimasiae pulmonum fudamentum est.

d) Vasa sanguifera in pulmonibus foetus collapsa, compressa, exiguam sanguinis vim hactenus admittentia, nunc in expansis pulmonibus dilatata, extensa, liberiora, maiorem sanguinis copiam recipiunt, ab eaque ulterius expanduntur, maioremque nanciscuntur diametrum.

Haec mutatio permanens est, ita, ut post mortem pro ratione auctae vasorum diametri *maior quantitas sanguinis arteriis*, saltem minoribus, praecipue autem *venis inhaereat*, quam quidem in pulmonibus, respirationem

---

(*a*) De usu partium C. H. L. XV. C. *6*. p. 212. Fol. edit. Iuntarum.

non expertis. *Exinde pondus pulmonum absolutum non potest non augeri.*

e) Aeris portio in pulmonibus residua aliis quoque modis se manifestat: cellulae illo plenae *cernuntur*, sibilus quidam *auditur* „ dum pulmones perscinduntur, iidem antliae pneumaticae subiecti, clausa antea trachea, *in turgorem* insignem *elevantur*, cum pulmones foetus parum vel plane non tumeant ".

§. VIII.

Aestimatio horum effectuum, ceu signorum vitae vel mortis sub partu, & post eum.

Quod augmentum voluminis attinet, istud adeo magni habet Cl. DANIEL (*a*), ut novam pulmonum docimasiam, hocce augmento, eiusque mensuratione (*b*) fultam proponat; quae enim gravitatem specificam ratione aquae, in qua submerguntur, concernunt, ea cum vulgari pulmonum docimasia communia habet Auctor laudatus, qui litteratos publice invitat (*c*), ut eam disquirant.

(*a*) L. c. p. 200.
(*b*) L. c. p. 201. 208.
(*c*) L. c. p. 207.

Respiciendum omnino esse ad volumen au- ctum, docuerunt antea plures, & ipse ego (*a*) idem *in coniunctione cum aliis signis* valde commendavi, ut magis arrogans persuadere sibi posset, Cl. DANIELEM istis verbis: *ein wichtiges und nach Würde noch nicht genug geschätztes Zeichen*, excitatum forte fuisse, ut volumini aucto suam superstrueret docimasiam.

Cum autem voluminis augmentum ex respiratione fere omne ab aere, in pulmonibus restante pendeat, ita, ut pulmo nondum dilatatus, qui nunquam respiraverat, ex aere inflato idem acquirat volumen, ac is, qui respiratione usus est; patet, volumen cognitum nil docere, nisi *aeris* in pulmonibus *praesentiam*, perinde, ac vulgarem pulmonum docimasiam (*b*), quae tot tantisque premitur difficultatibus, ut, si ad eam solam respicias, de respiratione infantis facta vel non facta iudicare non possis, cum aer iste aeque per inflationem ab aliis peractam, pulmones intrare, cum per modum emphysematis pulmones occupare, cum denique putredinis soboles esse possit, quae posterior certe corpora, quae dissolvit, ope aeris producti aeque in turgorem elevat, ut eadem pariter non nisi *volu-*

(*a*) *Gewaltsame Todesarten* §. 149. *n*. 4.
(*b*) *Ebendas.* §. 144.

men augendo has pulmonum conditiones mutet, quod DANIEL (*a*) agnoſcere non videtur.

Ergo iactata haec pulmonum docimaſia iiſdem laborat vitiis, ac vulgaris.

Quae etiam ſenſit Cl. DANIEL, ideoque pondus pulmonum abſolutum pariter requirit (*b*), ut itaque reapſe veterem pulmonum docimaſiam cum recentiori a me propoſita coniungat, in qua *combinatione* omne huius novae ſic dictae pulmonum docimaſiae meritum ſubſiſtit.

Mutatio coloris, gravitatis ſpecificae, reliqua aerem in pulmonibus manifeſtantia ſigna, quae §. VII. ſub litteris *b*, *c*, *e* notata fuerunt, poſſunt quidem reſpirationis effectus eſſe verum, prout omnis propoſitionis affirmativae praedicatum non niſi particulariter intelligi poteſt; ita & dictae mutationes non ſemper indicant, an ex reſpiratione, an vero, perinde, ac voluminis augmentum aliis ex cauſſis profectae fuerint; adeoque ab iis ad reſpirationem & vitam infantis ſub partu vel poſt partum concludi nequit.

Unica itaque ſupereſt nobilior illa mutatio §. VII. *d.*, quae, ſi reperitur, indubie, *reſpirationem ab infante peractam* prodit.

(*a*) L. c. p. 208.
(*b*) L. c. p. 205.

§. IX.

Quomodo maior ſanguinis copia in pulmonibus reſtans explorari poſſit?

Maior vaſorum pulmonalium *diameter*, per reſpirationem acquiſita, ſi ſub calculum revocari poſſet, rem pulchre declaratura foret, quod vero vix ac ne vix quidem ſperandum. Dein, ſi ſanguis in vaſis pulmonalibus haerens ſollicite ex iis diſciſſis in determinata aquae quantitate *eluetur*, poſſet tum ex mutato *colore* aquae, magis autem adhuc ex *pondere*, aquae accedente, nec non ex *reſiduo*, poſt aquae evaporationem reſtante, ſanguinis copia aeſtimari. Neceſſe autem eſſet, ut antea pulmones infantum, qui certo non reſpiraverunt, explorarentur, ut ratio, qua ſanguis in huiuſmodi pulmonibus contentus ſe ad maſſam totius corporis habet, comparari poſſet cum ea, quam ſanguis in pulmonibus, reſpiratione uſis ad corpus totum ſervare ſolet, quae vero rationes non niſi ex iteratis experimentis ſtabiliri poterunt.

Denique *pondus abſolutum* pulmonum, per trutinam exploratum, cognita prius ratione eius, quam pulmones reſpiratione uſi & non uſi ad integrum corpus habent, non poterit non declarare, utrum pulmones inquiſiti priorem, an vero

ro posteriorem servent, adeoque an maiorem sanguinis vim contineant, nec ne?

Iterato quidem (*a*) eos, queis eiusmodi occasiones crebrius offeruntur, ad illas rationes inveniendas invitavi; ast hactenus paucae tantum mihi innotuerunt, quarum duas Ill. nunc Archiatro D. IAEGERO debemus: instituit nempe Vir Celeberrimus (*b*) comparationem inter pulmones utriusque generis, quorum hi ex infante, respiratione gaviso, illi ex alio, respiratione non uso, prompti fuerant: & reperit, pulmones, qui non respiraverant, ad corpus integrum se habuisse, ut 1. 70. Pulmones autem, respiratione gavisi rationem exhibebant, ut 1. 35., ut itaque in hoc saltem exemplo (quod tamdiu pro norma assumere liceat, donec plura forte habeamus), sanguis, qui pulmonibus per respirationem accedit, pondus pulmonum absolutum duplicaret.

Addo aliam, quam interea facere mihi contigit, observationem, quoad priorem proportionem: incidi nempe puerum neonatum, qui paucas ante partum horas manifesta vitae signa edi-

(*a*) *Ueber die physische Erforderniße der Erbfähigkeit der Kinder.* §. 67.

(*b*) Disquisitio, qua casus & annotationes ad vitam neogoni diiudicandam facientes proponuntur §. XII.

derat, ſub ipſo autem partu mortuus, certo nullum aerem cepit. Corpuſculum integrum pendebat grana 53040. Pulmones autem denſi grana 792. in aequilibrio tenebant. Ita ratio corporis totius ad pulmones, reſpirationem non expertos, hic proxime erat ut 67. 1., quae a priori illa ut 70. 1. parum recedit. Ita explorata & demonſtrata maior ſanguinis quantitas in pulmonibus demortui reſidua, factam reſpirationem infantis ſub partu, vel poſt eum luculentiſſime teſtabitur.

§. X.

Inventi extenſio.

Subit iam mentem, annon per numeroſa experimenta pondus quoddam abſolutum, pulmonibus foetus maturi in genere competens ſtabiliri queat, prout pondus ſex ſeptemve librarum corpuſculo integro foetus maturi non obſtante nota latitudine tribuimus. Cum ex allegatis obſervationibus conſtet, pondus pulmonum per reſpirationem duplicari, breviori adhuc via ſola pulmonum libratio reſpirationem factam declarare poſſet. Si v. c. pondus conſuetum medium pulmonum foetus maturi nunquam reſpiratione gaviſi 12-15. drachmas aequaret, & pulmones in-

quiſiti 24-30. drachmas in aequilibrio tenerent, reſpirationem factam eſſe confidenter enunciare poſſemus. Eadem ratione ſcala ponderum, pulmonibus foetuum, plenam maturitatem non aſſecutorum competentium determinari, & dein, cum eiuſmodi foetus explorandi veniunt, ad inventam & cognitam normam diiudicari forte poſſent.

§. XI.

Hiſtoria Inventionis.

Cum anno 1776. Tractatum de mortis violentae cauſſis & ſpeciebus (*a*) ſcriberem, incidi quoque in capitulo de infanticidio in docimaſiam pulmonum. Cum viderem; alios magnifice de ea ſentire, alios eam vilipendere, vel & plane reiicere, diligentius perpendi, quid ex ſubmerſione pulmonum, quid ex natatione ſequatur: ſenſi vero, *ſubmerſionem* mortem infantis ante partum nunquam demonſtrare:

1) quia infarctus pulmonum ex ſanguine conge-

(*a*) *Abhandlung über die gewaltſamen Todeſarten. Tübingen.*

ſto, ſcirrhi, tophi, hydrops, mucus tenax (*a*) gravitatem eorum ſpecificam eouſque augere poſſunt, ut fundum aquae petant, etſi millies auram traxerint, aerque copioſus in iis haereat: compreſſio pulmonum, ut a puris copia in cavo thoracis haerente idem efficit (*b*).

2) quia infans vivus naſci, poſt partum autem ex cauſſis morboſis vel & violentis aere poteſt intercludi.

3) quia infans vivus excluſus, *reſpirationem minimam* aliquamdiu exercere, & tamen pulmones fundum petentes exhibere poteſt.

Quid ſub reſpiratione minima, ad analogiam vitae minimae (*c*) intellectum velim, ſubiungam: in trachea bronchiiſque maioribus foetus praeter aquam mucoſam ſine dubio aliquid aeris incluſum eſt, alioquin enim eam aut muco penitus refertam, aut compreſſam eſſe oporteret; ſi prius eſſet, tum certe infans ſtatim poſt excluſionem ex utero tam libere reſpirare, tantum vagitum tollere non poſſet, qui enim omnis ille mucus tam ſubito evaneſcere, vel quorſum cedere tam repente potuit? Poſterius autem, ſcilicet compreſſionem tracheae & bronchiorum maiorum an-

(*a*) Ibid. §. 148.
(*b*) KOELPIN in Act. Haunienſ. Vol. I.
(*c*) DE HALLER Elem. Phyſ. L. VI. p. m. 223. & L. VIII. p. 266.

nuli cartilaginei impediunt, & vis comprimens deficit.

Adeoque neonatus, vires inspirationis in actum ciens, cuius autem bronchia minora una cum cellulis pulmonalibus aqua vel muco adeo repleta, vel & spasmo prehensa sunt, aerem non nisi in tracheam maioresque eius ramos trahere poterit: quodsi vicissim vires exspirationis agunt, pars aeris iterum expellitur, & forte *sonum* excitat; sic fiet, ut post mortem cellulae pulmonares aere destitutae, pulmonesque *sani*, *respiratione minima usi*, collapsi, fundumque petentes reperiantur. Huc pertinent foetus, quorum pulmones non natant, quia *parum respirarunt*, ut DE HALLER ait (*a*). Videtur hic casus infantis fuisse, quem Cel. LODERUS (*b*), Professor Ienensis, nuper descripsit, ut itaque de observatione ista dubitare opus non sit, prout Cl. DANIEL (*c*) fecit, cum explicare eam non posset (*d*); „ Igitur, ait, collapsus pulmonum, ad solum Cl. LODERI oculorum testimonium redit, quod tamdiu liceat in dubium vocare, do-

(*a*) L. c. L. VIII. Sect. IV. p. 281. not. *t*.
(*b*) Progr. quo pulmonum docimasia in dubium vocatur. Ien. 1779.
(*c*) L. c. p. 203. & 204.
(*d*) Ibid.

nec circa volumen pulmonum certiora eruantur obſervata " . –

Equidem certe Viri anatomici doctiſſimi, nec luſci, nec caeci, teſtimonium maioris facio, & exinde dubia a ZELLERO & HEISTERO propoſita corroborata video.

Senſi pariter, *natationem* pulmonum reſpirationem factam, nedum vitam ſub partu vel poſt eum, nunquam ſtricte probare, cum etiam in recentiſſimis pulmonibus emphyſema, & in aliis inflatio locum habere poſſit: vides ergo, quam inſufficiens, quam ambiguum, quam erroneum ſignum vitae mortiſve poſt partum ſit hoc, volumine & ſpecifica gravitate nixum pulmonum examen.

Propterea animum magis ad alteram, magis momentoſam mutationem (*a*) adverti, & ſic *nova* in mentem venit *pulmonum docimaſia*, quam 1777. (*b*) propoſui, & in Praefatione, ſat modeſte, ut opinor, annunciavi, cum dicerem: „ *deren Erfindung übrigens leicht war* ".

Ipſam vero docimaſiam §. IX. ſub finem breviſſimis explicitam habes; prius autem, quam ex pondere abſoluto pulmonum reſpiratio facta concludi poteſt, ut ibidem monui (niſi quidem

---

(*a*) §. VII. *d*.
(*b*) L. c. §. 151.

ea, quae §. X. propofui, applicari poſſunt); ratio cognita eſſe debet, quam pulmones infantum, qui certo reſpiraverunt, brevi autem poſt partum denati ſunt, ad corpus integrum habent, dein & ea, quam pulmones eorum, qui ſine ullo dubio mortui nati ſunt, iterum ad corpus integrum ſervant, quam neceſſitatem a Cl. DANIEL (a) in dubium vocatam video, dicente: „ *igitur aegre definienda ratione gravitatis pulmonum ad totius corpuſculi pondus opus non eſt* ". – Mox autem ſe ipſum refutat, ſubiungens: „ *Sufficit, rationem experimentis ſtabilire &c.* & paullo poſt: *pondus abſolutum pulmonum tam in mortuis natis, quam in vivis explorandum eſt* ". – Interim doleo, iſtas rationes nondum eouſque ſtabilitas eſſe, ut ipſa hac docimaſia iamiam in cauſſis forenſibus plenarie uti poſſimus.

§. XII.

Inventi vindicatio.

Poſt divulgatum iſtum meum librum; *von den gewaltſamen Todeſarten*, idem Cl. DANIEL edidit Lipſiae 1778. Inſtitutionum Medicinae pub-

P 4

(a) L. c. p. 206.

blicae edendarum Adumbrationem, in cuius Praefatione p. VIII. ait: „Ne vero, si olim ad institutiones edendas pervenire liceat, aliis detraxisse quid videar, quum ex iis, quae aliquando nova, forte attentione non omnino indigna propositurus sum, ab aliis interim prolata, mihi vindicaturus sum, ideo vereor, quoniam idem iam quodammodo accidisse, nuper intellexi — Novum pulmonum experimentum intelligas, cuius PLOUCQUETUS meminit, in quod ego iam ante, quam haec legeram, incideram, quod vero (p. VII. not. g) *ob tempus deficiens ingruentibus nundinis* hic exponere non possum, idem mox data occasione fusius propositurus".

Quae ratiuncula cum mihi plane non satisfaceret, in Tractatu: *über die physische Erfordernisse zur Erbfähigkeit der Kinder, Tübingen* 1779. cum §. 67. iterum de signis vitae post partum agendum mihi esset, in notula dixeram: *es befremdete mich allerdings, dass Herr Daniel diesen Gedanken oder Erfindung sich zueignen will. Er sagt mit dürren Worten: Er habe daran gedacht, ehe er meine Abhandlung zu Gesicht bekommen, hätte es aber nicht von sich geben können, weil ihm die Messe über den Hals gekommen seye. Ein Vorwand, der sich bey all' denen kleinen gelehrten Plünderungen benuzen liesse.* —

Verba haec Cl. DANIEL graviter tulisse videtur, & in Commentationis cit. de pulmonibus Praefatione an. 1780. editae P. IV. se ad FISCHERI & PLOUCQUETI obiectiones atque opprobria responsurum annunciat.

Ipsa vero responsio p. 170. dictae Commentationis occurrit: „ Ipse iam ante plures annos incidi in experimentum, quod tum quidem cum aliquot amicis, iam ante annum vero cum nonnullis V. Cel. communicavi, spero, intellecturos esse aequos rerum arbitros, me censuram PLOUCQUETI non mereri, quum facile quisque crediderit, me facile in ea quoque incidere potuisse, quae PLOUCQUETI experimentum solum constituunt ".

Atqui a posse ad esse non valet consequentia: videant ergo aequi rerum arbitri, an responsio ista ulli satisfaciat? Etenim, qui 1780. scribit, se ante annum aliquid cum V. Cel. communicasse, eum ex libro 1777. edito hausisse, si non certum, tamen verisimile, vel saltem valde possibile est, adeoque is, qui antea rem in publicum edidit, merito Inventor audiet. Quodsi autem Cl. DANIEL *mensurationem voluminis* suam & privam habere vult, non habeo, quod contradicam.

Nec desunt omnino aequi rerum arbitri, qui mihi honorem inventionis adiudicare nequa-

quam dubitarunt. Ut plures taceam, producam tantum Bibliothecam universalem Germanicam, quae Berolini prodit (*a*), Cel. ICtum SCHOTT, Lipsiensem (*b*), Cl. MEZGERUM (*c*), qui caeterum docimasiae meae non favens, meam tamen agnoscit, & Ill. IAEGERUM (*d*), qui me *primum* omnino novam methodum pulmones foetuum explorandi proposuisse, iudicat,

Adeoque ego inventum hoc qualecunque; mihi denuo vindico.

§. XIII.

Silva difficultatum & dubiorum contra meam docimasiam motorum, adiectis responsionibus.

Inter difficultates, quae docimasiam meam premunt, vel premere videntur, prima occurrit quaestio:

a) *An constans ratio ponderis pulmonum erga corpus integrum obtineat* (*e*)?

Impugnantes hanc rationis constantiam alle-

(*a*) *Band* XXXVI. II. *St. S.* 474.
(*b*) *Unpartheyische Kritik juristischer Schriften.* 84. *St. S.* 322.
(*c*) *Gerichtlich. Medicinische Beobachtungen. Erster Jahrgang. S.* 117.
(*d*) Disquisit. cit. §. XII.
(*e*) SCHOTT *a. a. O. S.* 324.

gare possunt, non esse partem corporis humani, quae non aliquando in ratione sua stereometrica ad reliquas aberraverit: sic inventa esse corda hominum modo enormia, modo minuta, nasos dari magnos, parvos, quin ipsum thoracem, cuius figuram & amplitudinem pulmones semper sequuntur, in his esse angustiorem, in illis ampliorem, nec non viscerum abdominalium molem maiorem per pressionem in diaphragma cavum thoracis angustare, adeoque contentis in eo debitam extensionem & incrementum denegare posse:

Ad hoc dubium regero, exceptiones ab ordinaria naturae lege, & constitutiones praeternaturales constantiam legis ipsius non evertere, & latitudinem observatam in nostra caussa errorem non inducturam esse, cum ratio ista mathematica me suadente ex *numerosis* observationibus eruenda sit, & sic medietas quaedam, ad longe plerosque dein casus applicabilis non possit non resultare: deinde eiusmodi aberrationes in neonatis, nisi evidenter monstrosis, non tam frequenter occurrunt, quam in adultioribus, queis per vitae tractum innumerae potentiae nocivae naturalem constitutionem immutare poterant.

b) *Si forte pulmones & reliquum corpus in diversa foetus aetate inaequali ratione crescunt, tum in minus maturis alia ratio assumenda*

erit, quam in iis, qui plenum gestationis tempus in utero permanserant (*a*).

Respondeo: inaequale hoc incrementum thoracis ratione reliqui corporis nullis probari observationibus, & maiorem capitis in foetu proportionem, analogiam quoad thoracem non inducere, cum caput ex aliis plane caussis in embryone non possit non multo maius esse, quam in foetu maiori.

Dein, si id, quod §. X. recentius proposui, exerceri potest, haec difficultas non amplius moveri poterit.

Praeterea in exploranda & capienda ratione maturi tantum foetus adhibendi sunt, & si obiicias, eandem difficultatem manere in eruendo forte casu forensi foetus alicuius nondum maturi, respondeo, in foetibus longe immaturis & non vitalibus hoc examen male & supervacuo instituі, & in aliis, maturitati propioribus, etiam rationes captas ad prius cognitas istas eo magis accessuras esse.

c) *Cum ob diversam pinguedinis copiam pondus neonatorum adeo variare possit* (*b*), *difficillime ratio constans reperietur, & in applicatione eadem difficultas iterum recurret.*

(*a*) Ex citata Disquisitione *Iaegeriana* p. 36.

(*b*) Ibid. p. 36.

Sentio huius obiectionis, a Viro Ill. factae, pondus, quod vero minuetur, cum videamus, ex tabulis v. g. *Raedererianis*, pondus neonati tantum non semper inter sex & septem libras versari (*), & diversitates ibi notatas pendere magis a maiori vel minori maturitatis gradu, in ponderosioribus itaque infantibus maius incrementum corporis universi adfuisse, adeoque & pulmonum (**).

Dein, si ratio ex quamplurimis infantibus capiatur, habebimus iterum medietatem illam, quae demum normae instar erit. Nec non propositum in §. X. etiam hoc solvet dubium.

d) *Cum ex allegatis (a) observationibus constet,*

(*) Recte hic respondet IAEGERUS, secundum Ill. WRISBERGII observata, inter 100. maturos foetus, esse 33. quae libras 7. 8. 9. ponderant, & 1. qui ad 10. libras accedit. Vid. Comment. Goetting. an. 1778. p. 24.

(**) Non valet, inquit Ill. IAEGERUS, haec conclusio: constantior enim est *longitudo* foetus, eiusdem *pondere*, quod ex ROEDERERI & WRISBERGII experimentis constat. Adesse poterit maior, aut minor pinguedo, posita eadem maturitate, sive gestationis foetus intra uterum tempore. NB. *Has & eiusmodi notulas ex Dissertatione* PLOUCQUETI, *per ipsam* IAEGERI *manum commentata, atque per hunc doctissimum Virum mihi benigne communicata, decerpere mihi permisi.*

(a) Ibid. p. 37.

pulmonem esse partem corporis aliquotam valde parvam, facile heic error subrepet.

Sollerti & adcurata omnino opus esse investigatione, ut ibidem docetur, facile largior; addo: minutam illam rationem, quam pulmones ad corpus habent, non impedire, quo minus differentia inter pulmones, respirationem expertos, & eos, quibus ea negabatur, valde conspicua sit, & sub trutinam cadat, cum pondus acquisitum integro ponderi priori aequale sit.

e) *Si differentia ponderis pulmonum adeo exigua est, ut vix lancem deprimat tollatve, tum iudicium eo difficilius ferri poterit;* hanc vero ad duas tresve drachmas aestimat Ill. Archiater IAEGERUS (*a*).

Quodsi differentia ponderis inter pulmones respiratione usos & non usos tam minuta esset, fateor, novam meam docimasiam facili errori subiectam fore, quamvis libra exacta non tantum drachmis, sed & multo minoribus ponderibus mutetur. Quid, si autem differentia ista multo maior sit? Equidem, cum primum istam proponerem, experimentis destitutus magis exempli caussa, ut perbene annotatur (*b*), duas uncias sanguinis per respirationem pulmonibus ac-

(*a*) Ibid. p. 38.
(*b*) L. c. p. 38. not. *l*.

cedere posse, assumpsi, putabam tamen, in foetibus maiusculis eam forte rationem obtinere posse: & nunc ex observatione (*a*) allegata, collata cum altera (*b*), inferre licebit, quod, si foetus prior: cuius pulmones 14. drachmas cum granis 40. aequabant, respirasset, tum pulmones ipsius, perinde ac alterius foetus, respiratione gavisi, rationem: 70. 1. mutavissent in 35. 1. adeoque pondus, aequale 14. drachmis + gr. 40. lucrati fuissent, quod a duabus unciis quatuor tantum scrupulis distat (*). Idem fere ex observatione abs me allegata §. X. concludi potest, cum istis pulmonibus drachmae tredecim cum granis duodecim accedere debuissent. Verum & his per reiterata & collata experimenta demum maior lux affulget.

(*a*) L. c. p. 4. *f.*
(*b*) L. c. p. 34.
(*) Non dicitur hic, inquit IAEGERUS, unum ex foetibus examinatis fuisse *torosum*, vel pinguem, atque perfectum & maturum; alterum vero *haemorrhagia exhaustum*, macilentum, & imperfectum: atque ob id, comparatio, quod in Dissertatione mea probe monendum esse credidi, institui inter utrosque non debuisset. Pondus pulmonum relate ad foetus corpusculum adhuc immaturum certe *maius* est, quam relate ad maturum: nam viscera omnino citius in foetu perficiuntur, quam pinguedo colligatur.

f) *Si infans; haemorrhagia demortuus sectioni subiicitur, ista sanguinis iactura rationem mutare posset.*

Aio: si rationem mutat, tum ita mutabit, ut pulmones, respiratione usi, respectu corpusculi anaemi eo graviores evadant, adeoque pro vita infantis, quae in casu substrato adfuit, cum mortuus haemorrhagiam pati non possit, certabit. Cum enim immoriente cor dextrum adhuc aliquoties pulset, sinistro iam quiescente, eo ipso aliquot undae sanguinis in pulmones semel dilatatos agentur, quae ob negatum transitum in cor sinistrum in iis restabunt, & pondus absolutum augebunt. Eodem modo dubium solvitur, quod in iis casibus moveri posset, ubi infans dissectus urinam & meconium perdidit, quorsum accedit, ut hae iacturae adnotari, & a pondere corpusculi facile subtrahi queant. Dein provoco quoque hic ad §. X,

g) *Hydrops corpusculi, sive universalis sive particularis, perinde ac hydrops pulmonum mutabit rationem stabilitam.*

Fateor, & addo, hoc in casu, verum rarissimo, rem in suspenso manere, nisi ex reliquis signis & circumstantiis certitudo respirationis stabiliri vel reiici possit.

h) *Eodem modo nodi, scirrhi, mucus in aspera arteria & bronchiis congestus, pulmonum pondus valdopere augebunt.* Omni-

Omnino : verum nodi & fcirrhi , praeterquam quod raro occurrant , in oculos cadunt , adeoque hi cafus ad inextricabiles relegandi funt , nifi aliunde lux affulgeat ; etenim reliqua figna vitae & mortis poft partum excludere nequaquam volo ; fed potius cum mea docimafia combinanda effe cenfeo , prout iam olim innui (*a*) .

i) Alius adhuc reftat nodus , quem pariter Ill. IAEGERUS texit (*b*) , fcilicet : „ *An ex nimia congeftione fanguinis pulmo foetus non refpirantis tam gravis fieri poffit , ut iam pulmoni refpirantis aequali , quin &* , *fi artificiofe infletur , in eo fimilis fiat , ut aquis innatet , adeoque non amplius ab alio , refpirationem experto , differat* “ ?

Videamus , quomodo is extricandus fit ?

Eiufmodi congeftionem fanguinis in vafa pulmonis *collapfi* , per refpirationem nunquam dilatati , equidem pro *impoffibili* habeo , praefertim in foetu , cuius foramen ovale & ductus arteriofus , vias fat amplas & adapertas fanguini elapfuro praebent , ut in ipfos pulmones , quantacunque vi urgeatur , vix ac ne vix quidem ultra modum confuetum irruere poffit (*) .

(*a*) *Von den gewaltfamen Todefarten.* §. 149.

(*b*) L. c. p. 39.

(*) Pro *impoffibili* , refpondet IAEGERUS , hanc fanguinis in pulmone congeftionem morbofam non

Quin & ipſae illae obſervationes *Raedererianae* (*a*) hanc meam theoriam tantum non evertunt, ut eam potius perbelle ſuffulciant & roborent. Prior illarum puerum ſiſtit, per octo horas in vagina moratum, ab orificio uteri vehementer conſtrictum, poſt partum tamen artus aliquoties moventem, & paullo poſt morientem, in cuius *thoracem* omnis vis ſanguinis coacta, & encephalo ſubtracta erat, cum omnia *cordis* vaſa ſanguine ſummopere diſtenta, reſciſſo corde integer *thorax* ſanguine inundatus, cunctae pariter *thoracis membranae inflammatae* & ſplendide rubentes, vaſa contra cerebri abdominiſque vel modice repleta vel plane depleta erant.

Altera obſervatio puellam habet, quae abſque reſpiratione poſt partum demortua erat: „ huic *cordis auriculae*, venae & arteriae ſanguine ita turſerunt, ut nil ſupra cogitari poſſit; atqui pari modo etiam *thoracis membranae* inflammatae rubuerunt, non aliter certe, ac ſi de induſtria minima etiam vaſcula repleta fuiſſent ".

Iam notabis, in utraque hac obſervatione de *pulmonibus*, eiuſque vaſis altum eſſe ſilentium,

---

habuerim: poteſt enim haec ipſa ex *bronchiali* arteria originem ſumere. In ROEDERERI obſervatione *pleura* inflammata fuit; cur ad *pulmones* congeſtio diceretur impoſſibilis?

(*a*) Ibid. p. 39. 40.

quos, si eodem modo sanguine inundati fuissent, ROEDERERUS, ad ea, quae ad forensia pertinent, attentissimus, certe non praetervidisset (*), eorumque mentionem omnino fecisset, unde iure meritoque concludo, pulmones in simili statu non fuisse: dein, si non fuerunt, in eum abire nunquam posse (in foetu scilicet, qui nunquam respiravit). Nam, si unquam, certe hic, cum in vasa thoracica reliqua omnia magna vis sanguinis ingereretur, pulmones sanguine oppleri, infarciri, distendi debuissent.

Quicquid concedere possum, eo redit, ut vis ea urgens perparum forte sanguinis in vasa pulmonalia ultra modum pellere, easque supra naturalem diametrum distendere possit, quod vero nunquam pondus pulmonum eo usque augebit, ut ad rationem pulmonum, respirationis usorum accedant.

k) *Putredo corporis pulmonumque minuit pondus absolutum utrinque, adeoque ratio inventa turbabitur* (*a*).

(*) Non praetervidit ROEDERERUS, replicante sic IAEGERO, quae praetervidisse hic supponitur: describit enim illud, quod *praeternaturale* in cadavere detexit. Cum vero in foetu, respirationem non experto, pulmones naturaliter profunde rubeant; hoc ipsum ideo, quod consuetum esset, non recensuit.

(*a*) SCHOTT *a. a. O.*

Respondeo: ubi putredo eousque invaluit, ut corporis & pulmonum pondus absolutum imminueret, ibi nulla amplius disquisitio locum habebit, cum partes solidas iam in putrilaginem diffluxisse oporteat, adeoque hic casus in applicatione nullam pariet difficultatem.

In minori autem gradu nostra docimasia difficultates occurrentes tantum non augebit, ut eas potius solvat.

§. XIV.

Praerogativae & commoda meae docimasiae.

Remotis itaque, quantum fieri potuit, dubiis & difficultatibus, addo brevibus, docimasiam abs me propositam nec a putredine incipiente, nec ab inflatione artificiosa, nec ab emphysemate, nec a bullis aereis adhaerentibus turbari, vel dubiam reddi, quibus omnibus vulgaris illa pulmonum docimasia subiacet: spero itaque, fore, ut ea, simulac ex sufficientibus observationibus ratio pulmonum respiratione usorum, & non usorum ad corpus integrum plene determinata fuerint, auctoritate publica instituatur, spero quoque, eam, ubi de haereditate eiusque transmissione agitur, praecipue bene venturam, nec minus in eruendo infanticidio facem praelaturam esse.

Ipsius applicationis commoda pariter in apri-

eo sunt, cum non nisi ponderatione corpusculi integri, dein pulmonum (& forte horum solorum), caute exemptorum, a corde & aspera arteria usque ad divisionem in ramos duos maiores liberatorum, opus sit. Commode dein pondera inventa ad calculum revocari possunt, &, si pulmonum, caeterum sanorum, pondus accesserit ad rationem eorum, qui respirationem peregerunt, infantem, de quo agitur, respirasse, sine formidine oppositi enunciari potest, praesertim si & reliqua signa, per se licet dubia, conspiraverint.

§. XV.

Anacephalaeosis doctrinae de docimasia pulmonum in genere.

Quicquid pulmones doceant, poterunt quidem indicare, infantem respirasse, adeoque vixisse, nunquam autem, eum non vixisse, cum vita etiam sine respiratione adesse possit (*a*), quin etiam, si ad respirationem minimam respexeris; nunquam docebunt, infantem non respirasse, adeoque tantummodo pro vita infantis, nunquam contra eam militare poterunt.

(*a*) HEBENSTREIT Anthrop. For. p. 403.

THEODORI GUILIELMI SCHROEDER

MEDICINAE DOCTORIS

HISTORIA FEBRIS

BILIOSO-PITUITOSO-PUTRIDAE

QUAE

AB INITIO MENSIS DECEMBRIS MDCCLXXXIII. AD FINEM USQUE MENSIS AUGUSTI MDCCLXXXIV.

IN

VARIIS HASSIAE REGIONIBUS EPIDEMICE GRASSATA EST.

Goettingae 1784.

PAucis hiſce pagellis ingenuam atque ſimplicem eius tradendi deſcriptionem, qui ab initio menſis Decembris a. p. C. n. MDCCLXXXIII. ad finem uſque menſis Auguſti MDCCLXXXIV. in variis Haſſiae regionibus epidemice graſſatus eſt morbi, cuiuſque tum exquiſita perſcrutatio tum & profligatio ab ipſo perilluſtri & doctiſſimo Sereniſſimi Haſſiae Landgravii Collegio Medico,

quod Caſſellis eſt, curae meae demandatae fuerunt, eſt quod iam in propoſitis habeo. Pauperrimi ut plurimum harum regionum incolae ab hocce morbo adoriebantur, quibus inſigni & admirabili clementia ac propenſiſſima ſane Patris patriae benigniſſimi voluntate ex Medicorum praeſcriptione quaecunque non tantum medicamina quantivis pretii impertiebantur atque propinabantur gratis, ſed quibuſcunque etiam auxiliis ſuccurrebatur, quae ob feliciſſimam eorum reſtitutionem tribuere quidquam valuerunt. Qua ipſa deſcriptione nil ſane inanis atque infructuoſi moliri mibi videor: altera enim ex parte febris regnantis praedominans indoles, quae vereillioſo-putrida exſtitit, tanta exanthematum tum multitudine tum variatione comitata incedebat, ut huic epidemiae peculiaris ſane quidquam attribuere poſſimus; ex altera autem quoad prognoſes aeque, ac in medendi qua uſus ſum methodo non pauca obſervanda venerunt, quae breviſſimam atque ſecuram ad huiuſce morbi medicationem viam demonſtrare nobis poterunt.

Primo graſſari haecce febris, cui bilioſo-pituitoſo-putridae nomen omni iure convenire videtur, coepit in praefecturae *Grebenſtein* adſcripto pago *Ulenhauſen* dicto, qui, ſi ex *Caſſellis* ſpectes, in media orientalem inter atque ſeptentrionalem regionem ſitus, verſus orientem ſpa-

tiosam atque montanam sylvam, *der Reinhardtswald* dictam, habet appropinquantem; versus occidentem atque septentrionem est acclivis ad aequatam agri planitiem aditus, in cuius finibus urbes *Grebenstein* & *Geismar* positae sunt; ad meridiem vero in unius horae spatio versus urbem *Immenhausen* bini colles duoque valles alternant. In valli igitur inter horum collium ultimum montem, in quo sylva ista posita est, illamque planitiem, quae versus occidentem atque septentrionem vergit, pagum *Udenhausen* dictum, situm habemus.

Rei frumentariae atque lini cultura huius pagi incolae victum sibi quaeritant; prae aliis vero paganis insigni morum ruditate affecti sunt, & plerique haud mediocrem potuum spirituosorum copiam, quantum rerum angustia permittit, haurire consueverunt.

Sat magnus est, de quo scribo, pagus, ut nonaginta & sex focos contineat; hinc si cuicunque familiae quatuor vel quinque socios adscribamus, pro habita ratione omnis incolarum numerus quadringenarius circiter erit.

Primam de morbo ibi grassante relationem iuri in praefecturis *Grebenstein* & *Geismar* dicundo propositus, alteram consiliarius ibidem provincialis, nobilis DE STOCKHAUSEN, mense Decembris MDCCLXXXIII. Serenissimo

Principi proponi curaverunt. Quum vero illico de aegrotantium curatione quidquam neque decerneretur, neque ordinaretur: Praefectus ille Chirurgum legionis, cui praeest Summi Imperatoris locum tenens Illustrissimus DE BOSE, *Udenhusam* misit, ut morbum epidemice ibi grassantem examinaret, & pro ingenii viribus medicamina praescriberet. Tricesimo demum mensis Decembris die Collegium Medicum perillustre, quod Cassellis floret, Serenissimi Principis nutu mihi ut eiusdem morbi decursum caussasque investigarem, misereque decumbentibus quibuscunque auxiliis succurrerem, quam benignissime demandavit. Quum igitur ipso eodem die *Udenhusam* prima vice inviserem, iam ad centum & octodecim processerat uno eodemque morbo in hoc pago laborantium numerus. Decursus autem huius morbi sic fere sese habuit:

Plurimi, antequam a febre ipsa adoriebantur, de appetitus ciborum defectu, nausea potius & vomendi conatibus, licet inanes essent, conquerebantur. Sitis vero, & potuum acidorum desiderium aderat, simulque totius corporis segnities, inferiorum inprimis extremitatum gravitas vexabat; nec non obtusus capitis dolor, oculorum calor atque caligo, auriumque susurrus observabatur. Die in vesperam inclinante arctior, insimul vero inquietus, horificis in-

fomniis, id quod abruptae locutiones, fubitaneae perturbationes & anxietates demonftrarunt, diftractus fomnus illos invadebat. Sequentis diei tempore matutino fomnolentia ne in hilo quidem diminuta, ftupor capitis infignis, pulfatorius atque premens in uno alterove frontis latere dolor, fapor pituitofo-biliofus, prefforia in regione ventriculi fenfatio, anxietas, fimulque tanta virium imbecillitas aderant, ut e lectulo furgere nullus fere poffet. Linguae radix vix non in omnibus ex albo flavefcentibus iifque fixis fordibus obtecta, eius vero apex ruber atque tremulus, oculorum obnubilatio, rigiditas & in nonnullis illacrymatio, narium obftructio, rubor cum tumoris fenfu (*a*) animadvertebantur. Non raro etiam crebra fternutatio contingebat. Praecordia, hypochondria quoque, dextrum prae altero, tenfa tumidaque percepi. Alvus aut omnino obftructa, aut faltem dura atque rara, & deiecta in quibufdam viridefcentis, in aliis nigerrimi coloris erant, urina pauca, rubra, obfcura, cum ftranguria fubinde mittebatur. Refpiratio anxia, fpiritus foetens atque calidus.

(*a*) Quam narium obftructionem ruborem & tumoris fenfationem ulcufcula etiam in eorum orificiis fordium pituitofo-biliofarum immobilium in primis viis copiam indicare faepius equidem obfervavi.

Quibus in plerisque sese adiunxit tussis molestissima, unde in ipso nisu dolor in scrobiculo cordis augebatur. Quosdam glandularum colli tumores vexabant, nullis vero deglutitionis organa in hocce stadio afficiebantur. Pulsus in plerisque plenus erat, mollis atque creber; iam vero satis adhuc regularis; aliis vero sequioris praesertim sexus, in quibus hystericae atque hypochondriacae passiones cum illis coniunctae incedebant, parvus observabatur, durus, creber, inaequalis absque febre, quandoque bis feriens: id vero singularis habuit, quod in una horae dimidia non raro ter quaterve cum maiore molliore magisque regulari, qui anxietatis diminutionem, cutis madorem, & urinae lateritii coloris missionem non sane raro habebat comitantem, alternaret. Reliquis in hoc morbi stadio cutis fuit fere siccissima. Quae cuncta sic animadvertebantur ad meridiem usque diei a prodromorum initio secundi vel tertii, qua cum frigore ac vehementi horripilatione aliisque symptomatibus spasticis prima febris accessio invasit.

Fuerunt, qui absque ulla molesta sensatione praegressa, h. e. absque ullis huius febris prodromis, cum debilitate incredibili, nausea atque vomitu materiae viscidae biliosae viridescentis, omnino & lumbricorum plurium excretione, omnibusque symptomatibus febris derepente in lectula deiiciebantur.

Illi aeque ac hi, qui absque prodromis febre afficiebantur, de vehementissimis capitis doloribus nunc cum punctionis & tractionis, nunc vero pressionis sensu in uno alterove frontis latere, quandoque in cunctis capitis ossibus, ita ut calvaria ipsis disruptura videretur, nec non de molestissimo aurium susurru, conquerebantur. Respirationis difficultas, anxietas, & tussis vehementia in dies augebantur; & in summo accessionis febrilis vigore plurimorum pulsus magnus erat, mollis, inaequalis atque creberrimus, ita ut in multis in uno horae minuto CXL-CL. arteriae diastoles percipere potuerim. In quibusdam pulsum observavi parvum, tensum, inaequalem, nec adeo crebrum, hisce fuit maxima in sanguinis putredinem propensio. Plerique prima iamiam accessione, vel saltem prima febris exacerbatione, delirare, idque tertio vel quarto die cum vehementia quadam atque ferocia, coeperunt; omnino mulier quaedam triginta annorum, modo memoriam tangens, quae, brevi antequam hoc morbo corriperetur, infausto amore implicita fuerat, iam per plures dies adeo vehementi furore afficiebatur, ut ligare eam, cunctaque quibus noxam sibi aliisve inferre potuisset instrumenta amovere adstantes oporteret. Qui non revera delirabant, summo tamen laborabant stupore, ita ut de nihilo claram atque apertam ideam

fingere sibi potuerint. Capitis dolores, nausea & amaricans sapor iam maxime adaugebantur, sed in paucis tantum spontaneus insequebatur vomitus. Alvus fere penitus obstructa, hinc abdomen tumidum, durum, eiusque attrectatio dolorifica multis fuit. Urina obscura, rubra, quorundam iumentosa spumans. Calor totius corporis insignis, ex attactu cutis mordax, quandoque cum leni eiusdem madore. Equidem cum ex centum illis & octodecim aegrotantibus quosdam in morbi initio versantes, alios in eodem plus minusve provectos, alios tandem ab eius fine haud multum remotos invenerim: in quocunque fere stadio morbum ipsum observandi copia mihi oblata fuerat, cuius sibi ipsi relicti decursum iam propono; quas mutationes medicamentorum a me exhibitorum usus procreaverit, mihi reservans.

Per secundum tertiumve a prima febris accessione diem aegrotantium status, quem modo descripsi, permansit. Circa tertii vero diei finem vel ipso quarto, in quibusdam & septimo demum vel octavo die, cum frustraneis vomendi conatibus motus convulsivi varii, subsultus tendinum, carptio flocculorum, musculorum faciei distractio, tremulus linguae motus, delirium tranquillum, metus quandoque insolitus, oris & linguae siccitas absque potus desiderio, strangulo-

rum abiectio deprehensa, simulque sudor oboriebatur, cum quo petechiae, initio rubrae, mox fuscae & inter has lividae, in dorso praesertim, pectore, & brachiis, sine morbi levamine, erumpebant. In infantibus multis hoc ipso stadio exanthema scarlatinum erumpens, vel inter petechias miliare album permixtum vidi. Propinata e quibusdam, antequam rationali methodo illis succurrebatur, ex circumforaneorum & unguentariorum manu essentia alexipharmaca Stahlii, ess. amara similiaque medicamina spirituosa calefacientia fuerant, unde bilis in sanguinem transfundebatur, huicque summa putredo impertiebatur. Inter quos pauci evaserunt, quibus septimo, vel circa undecimum, omnino & decimum quartum diem sensim surditas obtigit cum parotidum tumore, atque diarrhoea critica. Qui vero circa septimum aut nonum diem linguae & faucium paralysi afficiebantur, hi absque ulla sanationis spe cum calore vehemente atque mordaci, sudoribus symptomaticis foetentibus, abdomine tympanitice tumente, quibusdam variis corporis locis vesicis ovi gallinacei magnitudine obortis, hic evanescentibus, illic iterum erumpentibus, aquam limpidam flavescentem male olentem continentibus, tandem sub convulsivis musculorum motibus post diarrhoeam colliquativam invitis erumpentem sopientes, animam efflarunt.

Quibus autem, licet paucis, fomes in primis viis biliosus iam ab initio mobilior fuerat, his vomitus, & diarrhoeae spontaneae materias viscidae biliosae pituitosae & lumbricorum, in primis diebus cum magno symptomatum levamine contigere, nonnullis etiam hae evacuationes criticis diebus, quarto in primis & septimo, usu venerunt. Quae vero nil impedivere, quo minus postea exanthemata varii generis adhuc erumperent, quae etiam non sane raro critici quidquam secum ducere videbantur. Duo iam in mentem veniunt aegrotantes, quibus, post vomitus atque diarrhoeas spontaneas aeque ac arte productas, alteri die XIV. alteri vero d. XXI. a prima febris accessione, ex summa anxietate, pulsu suppresso, lingua alba, punctionis in universa cutis superficie sensu, cum profuso sudore, exanthema miliare subflavum cum maguo symptomatum levamine erumpebat, quod circa quartum, quintum, aut septimum ab eruptione diem cum cutis disquamatione in farinae subtilissimae forma, evanescebat. In quibusdam post propinata iam iam remedia resolventia, evacuantia, antiputredinosa, praesentibus attamen adhuc sordibus in primis viis bilioso-putridis (id quod sapor amarus, nauseosus, putridus, vomitus materiae putrilaginosae, viridescentis, & muci verminosi, spontaneus, spiritus male olens &c. satis superque

indicabant); circa septimum diem petechiarum rubrarum eruptionem sine morbi levamine & absque cutis pruritu, in iisdem vero circa nonum, undecimum vel decimum quartum diem inter petechias exanthema miliare rubrum cum pruritu propullulans observavi, quo anxietas & capitis dolores valde leniebantur. Singularis sane fuit quam habui observationem, Hassorum non paucos, qui mercede apud Anglos in America militaverant, ab hoc morbo epidemico correptos circa decimum quartum diem scabie critica, in multis vere herpetica cum magno symptomatum levamine affectos esse, quae vero eos per longum insuper a vera febrilis morbi profligatione temporis intervallum cruciavit cuiusque medicatio accuratissimam sane attentionem requisivit.

Vix nullus eorum qui ex hac periculosissima febre evaserunt, excipiendus erit, qui non circa diem septimum ad decimum quartum summa audiendi difficultate affectus esset; quae permultis cum vehemente othalgia, futurae parotidis signo, accessit. Parotidis quamproximam originem cataplasmatibus emollientibus & attrahentibus promovere potuimus, unde & otalgia leniebatur. Infantibus, quorum non pauci hoc morbo affligebantur, tinea capitis humida non raro critico modo oboriebatur, cum qua surditas & materiae purulentae foetidae ex auribus effluxus saepenumero consociatus incedebat. Pri-

Primis vicibus noſtros aegrotantes viſitans non adeo paucorum ſtatum in nonnullis ab eo diverſum inveni, quem iam propoſui. His initio morbi vel ſponte a ſordium acrimonia irritamento oborto, vel ex remediorum evacuantium, abſque praegreſſa reſolutione, a Chirurgo illuc commiſſo propinatorum praematuro uſu, diarrhoeae atque vomitus pronati, quibus vero ſaburra ipſa haud excernebatur, ſed potius ſeroſarum partium eliminatione ventriculo & inteſtinis magis inſerebatur, immobiliorque reddebatur, id quod experientia quotidiana docet. Pulſus in his parvus erat, mollis, nec adeo inaequalis; cor ſubinde palpitabat; febris exacerbationes non validae erant remiſſionibus notabilioribus, quae intermiſſionibus ſeſe appropinquabant, ſequentibus. Docuere id iamiam plurimorum Medicorum, LOMMII inprimis atque PRINGLII obſervationes, quo maior adſit ſordium bilioſo-pituitoſarum earumque immobilium in primis viis copia, eo notabiliores quoque febrium cum ipſa coniunctarum remiſſiones eſſe. Praeſertim in iſtis hominibus vertigo & ſtupor, oculorum rigiditas, audiendi difficultas, totius corporis ſegnities, ſomni defectus, hinc debilitas & nervorum variae affectiones animadvertebantur. Lingua aſpera muco ex albo flaveſcente ſicco ſordida; ſapor paullatim nauſeoſus; hypochondria

tenſa tumida ; praecordia oppreſſa ; anxietas moleſtiſſima. Quinam ex his cum febris acceſſionibus minutiſſimis, hecticis haud abſimilibus, per quatuor ad quinque hebdomades iamiam aegrotabant, & praeſertim de intolerabilibus capitis doloribus conquerebantur. Urina mittebatur pauca, rubra, obſcura, nonnullis cum ardore; alvus obſtructa & foeminis menſtrua ſuppreſſa erant, unde anxietas ſumme adaugebatur. Foemina quaedam ex hiſce aegrotantibus quadraginta circiter annorum poſt remediorum reſolventium & evacuantium uſum cum diarrhoea ſatis vehemente eryſipelate cruris cum inſigni morbi levamine afficiebatur, & viro cuidam cum vomitu multae bilis & pituitae ptyaliſmus contigit non abſque ſalutari effectu.

In cunctis vero hiſce variis morbi epidemici ut ita ſcribere liceat varietatibus ſalutares excretiones vel natura ipſa produxerit, vel arte Medica pronatae fuerint: adaequata medendi methodo adhibita, praeceptiſque diaeteticis diligenter curatis ſub decremento febris nullum inſuper periculum metuendum erat. Appetitu autem ciborum viribuſque ſenſim redeuntibus regularum diaeteticarum obtemperatio a paganis ruſticis rariſſime ſane ſperanda: hinc etiam factum eſt, ut quibuſdam praematuro potuum ſpirituoſorum, carnis & ciborum tenacium uſu,

vel & utriusque nimia ingurgitatione febris recidivae oborirentur, quarum sitis adaucta, somni defectus, spiritus male olens, inflatio faciei palpebrarum inprimis, & praecordiorum tumor atque dolor inter praesagia erant; quorsum & eruptiones erysipelaceae faciei, a Clar. SAGAR Bacchia vocatae pertinebant. Ob praesentem adhuc debilitatem horum corpora iam vehementissime afficiebantur, quorum nonnulli priore morbo liberati recidivarum vehementia interimebantur. Coniunctae febris inflammatoria magis indoles, post paucos dies in putridam vergens, biliosa minus apparente, videbatur. In his iudicatio non raro fiebat diebus criticis exanthemate miliari rubro, in plerisque vero sudore atque urina a die septimo ad decimum quartum usque.

Caussarum accurata definitio, quae ad hunc illumve morbum epidemice grassantem producendum conveniunt, res est multis sane difficultatibus implicita. Sequentia attamen momenta pro principalibus eius, quem iam descripsi, caussis omni iure censenda puto. Primo igitur tempestatis ratio habenda. Notissima cuique, qui aliqua tantum attentione tunc temporis impendentem, caeli statum observaverit, res est, aestatem anni MDCCLXXXIII. siccissimam fuisse atque calidissimam, sequenti vero autumno satis

tepido notum atque libanotum multas pluvias advexisse. Qui venti contagiosi quidquam secum duxerint, nec ne: id tamen certo certius est, copiosas illas autumnales pluvias in paludes confluxisse, quae multis locis per longum temporis intervallum stagnabant, inque regionibus profundis atque vallibus nulla ratione adeo celeriter exsiccari poterant, ut noxis vacuae inde fierent; hinc nocivae exhalationes varii generis nascebantur. Si itaque perpendas, calidissima ista tempestate aestiva transpirationem corporum maxime adauctam, nervorum systema, hominum praesertim ex salutaris atque sufficientis nutrimenti defectu iam satis labefactatorum, debilitatum, bilem insuper quam maxime corruptam esse; humida vero sequentis autumni tempestate transpirationem etiam non tantum suppressam, putridarum in humoribus corporis particularum, praegresso summo calore pronatarum, exterminationem cohibitam, sed & musculorum fibras relaxatas, nervorumque systematis debilitatem adauctam, porro etiam putridis paludum effluviis per poros aeque cutaneos ac inspiratione resorptis sanguinem omnesque corporis liquores summopere depravatos esse: quid, quaeso, mirum, talem obortum esse, qualem supra descripsimus, morbum ancipitem atque periculosissimum? Pagus *Udenhausen* in valle situs est, qua tunc tempo-

ris multum aquae pluviosae accumulabatur; eiusque incolarum paupertas adeo increverat, ut nil fere supra. Per sex enim annorum intervallum neque lini incrementum feliciter successerat, cum quo praecipue negotiantur, neque reliqua annona liberaliter fructus porrexerat, foeni etiam pecudumque pabuli penuria maxime eos vexaverat. Hinc quoque morbum quibus pauperrimi inhabitabant homines aedibus primum emanasse observavimus. Hisce caussis aqua porro annumeranda tunc temporis quam maxime turbulenta, innatantibus non raro viventibus aeque ac mortuis insectis, quam meliore orbati ut biberent coacti fuerunt istius pagi incolae; quae vero tempestati illi autumnali absque dubio hasce qualitates debuit. — Sicuti porro quaecunque subitaneae vicissitudines corpori humano nocent, sic & repentina tempestatis mutatio, dum tepida humidaque autumni tempestas mense Decembris eiusdem anni in vehementissime frigidam atque nivalem, praegressis nunc euro, nunc aquilone, nunc euronoto, subito transverteretur, nostris *Udenhusae* incolis quam maxime nociva fuit. Quorum ventorum halitu sublimiores quidem loci quodammodo exsiccabantur, *Udenhusa* vero ob eius in profundiori loco situm, & quia in eius tergo sylva montana atque densa posita est, attrectari neutiquam potuit. Subitaneo itaque illo tempestatis

frigore cum coniuncta humiditate pori cutanei penitus obstruebantur, hinc putridus aeque ac biliosus in corpore praesens fomes in ipso retentus materiam febrilem in eodem procreare valuit, quae vi sua assimilatrice universum sanguinem omnesque liquores corrupit, hacque ratione morbum nostrum progenuit. Aquilo eurusque per longum satis temporis intervallum perseverantes latens quoddam contagium ex hoc pago ad alios secum ducere videbantur; morbum enim illum epidemicum, *Udenhusae* obortum versus orientem atque septentrionem neutiquam, versus meridiem contra atqne occidentem ad nonnullos pagos propagatum esse, quorum incolis quaedam fuit in istum praedispositio, certissima sane observatio est. – Allatis hucdum caussis quasdam insuper adiungendas alicuius etiam gravitatis habemus. Foeni pecorumque pabuli incrementum, id quod superius iamiam protuli, aestate M. DCCLXXXIII. anni secus evenerat, quo factum est, ut egentes multi paganorum primo autumno pecora mactandi pabuli penuria coacti essent, quae partim ob insalubrem nec sufficientem cibum quo vescebantur, insalutarem quoque carnem praebuerunt, partim etiam cum mactata minus diligenter servata essent, computruerunt, quorum esu liquores corporis quod corrupti sint, non sane est quod miremur. Quibus omnibus

paganis haud insuetam ex paupertate quoque pronascentem linteorum aeque vestium ac lodicum, nec non conclavium impuritatem si apponere velis, qua libera corporis transpiratio supprimitur, atque exhalationum putridarum resorptio necessario fere redditur: adeo periculosus atroxque morbus popularis in hisce regionibus quod oboriri potuerit, explicatu difficile evadere non sane videtur. An nebulosus aer per aestatem MDCCLXXXIII. imminens, vulgo *der Hoeherauch* dictus, ad hunc morbum epidemicum procreandum aliquid contribuerit?

Ad signa in hocce morbo vel meliorem vel deteriorem eventum praesagientia quod attinet: praeter ista, quae nobis HIPPOCRATES propria experientia edoctus, postque hunc PROSPER ALPINUS, KLEINIUS, aliique de praesagienda vita & morte aegrotantium in acutis in genere protulere, quaeque saepius in formanda prognosi adhibere potui, sequentia praesertim momenta in hac epidemica febre vel leviorem vel graviorem morbum indicabant. Minus vehementer a morbo ipso afficiebantur, quibus fuit prodromorum per duos tres ad summum dies duratio, cum copioso bilis ac pituitae vomitu; quibus initio morbi dormiturientibus absque deliriis pressoria ventriculi sensatio sine anxietate nec adeo ingente debilitate infestabat; his etiam

ad tertium quartumve morbi diem deiectiones viridescentes nigrae nil ancipitis indicare, nec ullum periculum imminere videbatur, quibus post quartum diem cum deliriorum quadam ferocia pulsus erat magnus non adeo celer licet inaequalis, cutis quodammodo madida; hypochondria non adeo tumebant nec dura erant; alvus neque nimis obstructa neque nimis laxa, quaqua vice cum morbi levamine deiecta; & quibus cum aurium susurru, otalgia, sequentibus parotidibus tumidis sensim accessit audiendi difficultas, nonnullis surditas adeo insignis, ut durante morbo ne satis vehementem quidem somnum percipere potuissent.

Periculosiorem morbum praesagiebant prodromorum vel absentia, vel ultra tres quatuorve dies duratio, & durantibus prodromis vehemens diarrhoea inanis; deliria initio morbi cum somni defectu; cum insigni stupore nares & alvus penitus obstructae; deiectiones nigrae in progressu morbi ultra quartum diem, stranguria cum missione urinae crudae; spiritus foetens. Magis porro infestabat morbus, quibus frequentes erant hystericae & hypochondriacae affectiones & verminosa colluvies cum principali morbo coniunctae. Summae gravitatis signa, non vero certissimae lethalitatis habuerunt, quibus cum frustraneis vomendi conatibus accesserunt motus

convulſivi varii generis, ut ſubſultus tendinum; muſculorum faciei &c. diſtractio, tremulus linguae motus; delirium tranquillum cum flocculorum carptione; metus inſolitus; oris & linguae ſiccitas huiusque aliqua inter fiſſuras nigredo; tandem petechiarum purpurei vel lividi coloris eruptio. Signa denique mortis futurae erant circa ſeptimum diem, nonum & ultra linguae fauciumque paralyſis; profuſiſſimi ſudores ſymptomatici foetentes cum calore mordaci; diarrhoea colliquativa inſcio aegro erumpens; tumor abdominis tympaniticus; veſicarum hic illic eruptio; & anxium in lectulorum mutationem vel & veſtium indutum deſiderium, quaſi iter longinquum immineret. Hi ſub convulſivis muſculorum motibus poſt paucarum horarum ſpatium ſopientes animam efflarunt.

Cuique medicarum rerum haud ignaro latiſſime patebit, ad huius morbi profligationem & integram eo ipſo laborantium reſtitutionem ſecuriores non ſane formari potuiſſe indicationes, quam 1) fomitem bilioſo-pituitoſo-verminoſo-putridum ex primis viis eliminandi; 2) humorum quorumcunque putredini reſiſtendi; 3) criticas tandem a natura inſtitutas excretiones promovendi. Eaedem ſunt quibus in aegrotantium noſtrorum medela ſatisfacere conatus ſum indicationibus, qua vero ratione id ipſum perege-

rim, eſt quod iam paucis enarrabo. Singularis ſane quidquam fuit, quod omnibus ac ſingulis, alias etiam ſubtilioribus horum aegrotantium adeo inſignis corporis ſegnities, irritabilitatis defectus & ut ita dicam naturae in promovendo medicaminum effectu ignavia fuerit, ut ſuetas medicamentorum doſes quam maxime adaugere oporteret. Cuius rei teſtimonium proprio corpore manifeſtiſſime experiri copia mihi eodem morbo menſe huius anni Aprilis laboranti oblata fuit, dum mediocres laxantium aeque ac vomitoriorum doſes, quarum alias ſatis vehementi effectu gaudebam, iam nihil efficerent, ſed poſt ſufficientem bilioſae ſaburrae reſolutionem octo ſane tartari emetici requirerentur grana, ut tres ad quatuor vomitus cierentur. Cuius irritabilitatis defectus cauſſam partim in ſpecifica quadam epidemici huius morbi indole latuiſſe, partim in eximia ſordium immobilitate quaerendam eſſe cenſeo; quae ipſa in medicamentorum potenter reſolventium uſum manifeſtiſſime viam demonſtravit. Quibus igitur aliqui iamiam vomitus haud inanes uſu venerant, hinc materies morbifica in ventriculo & inteſtinis quadam mobilitate praedita videbatur, ſolutionem tartari emetici refractis doſibus per plures dies ſolo reſolvendi ſcopo propinavimus; quo magis dein cuncta ſymptomata, cephalalgia, ſapor amarus & nauſea

in primis urgerent, poſt duarum triumve dierum intervallum vomitorium dedimus pro aetatis ratione ex ſcrupulo uno ad duos radicis ipecacuanhae cum tartari emetici granulo uno ad tria, & granis duobus ſalis abſinthii; *vel* ex ſolius tartari emetici granis tribus ad octo in aqua ſimplici deſtillata ſolutis; *vel* tandem ex aquae benedictae Rulandi uncia ſemis ad duas conſiſtens; qua ipſa methodo ſemper feliciſſime ſufficientes vomitus producebantur.

Aliis quibus alvus non adeo obſtructa, in humorum putredinem propenſio inſignis, aliaque ſymptomata urgentia erant, quae celerrimam fomitis bilioſo-putridi exterminationem requirere videbantur, extemplo ſalis ammoniaci ſolutionem in aqua fontana cum oxymelle ſimplici ita propinavi, ut in octo ad decem horarum ſpatio eiuſdem ſalis drachmas duas ad tres per epicraſin cum multo potu diluente conſumerent, poſtridie vomitorium praeſcripſi, cuiuſmodi ſuperius depinxi. Infantibus non raro ſalis mirabilis Glauberi vel tartari tartariſati ſolutioni ſulphur antimonii auratum tertiae praecipitationis, ſcopo reſolvendi admiſcui, unde diaphoreſis quodammodo promota in variis iſtis exanthematicis infantum morbis, in ſpecie ſcarlatinis atque morbillis tunc temporis regnantibus, ſalutiferum ſane effectum edidit. – Eſt inſuper quod hic addam, poſt primam ſaburrae reſolutionem emeticorum

ufum fere femper maxime neceffarium fuiffe, ex laxantium contra propinatione in hac ipfa morbi periodo omnia in peiora ruiffe, dum quidem, ut mihi videtur, pituitofi ex inteftinis humores eliminarentur, bilis vero depravata principalis morbi cauffa in ipfo ventriculo relinqueretur. Praeterea totius corporis concuffione, quam efficiunt, vifcera abdominalia deobftruere, atque fudorem movere valent vomitoria, id quod in morbis nil fane inepti atque infalubris evadere videtur, qui aliqua ex parte ortum fuum fuppreffae tranfpirationi debent. Ut cum refolventium & vomitoriorum, quae non raro bis terve reiteranda erant, clyfmatum ufum in aegrotantium noftrorum curatione coniungere potuiffem, fuit quod maxime in votis erat; quorum vero applicationi paganorum praeiudicia quam maxime repugnarunt. Sic etiam perraro affequi potuimus, ut potiones antiphlogifticas, refolventes, catharticas per epicrafin ufurparent; hinc multi, quibus eiufmodi mixturas omni bi-vel trihorio cochleatim fumere ordinavimus, iftas una vel duabus vicibus epotarunt. Hinc etiam quibus medicamina laxantia pituitofo-putridum fomitem in inteftinis educendi fcopo praebere oportuit, potiones praefcribendae erant, quae matutino vel alio quocunque tempore femel atque fimul deglutiri poterant. Quo confilio poft exhibitas aliquas tartari tartarifati vel falis mirab. Glaub.

minores doses Tincturae rhabarbari sine alcali unciam unam ad sesquiunciam cum pulveris radicis Ialappae scrupulo uno ad drachmam unam adhibuimus. Rarissime hinc febris exacerbationes adauctas vidimus, & si forte id factum esset, earum vehementia attamen remisit, simulac laxans illud medicamen per sex ad octo sedes, quibus bilioso-pituitosa materies & verminosa colluvies excernebatur, effectus suos praestiterit. Quandoque vero accidit, ut quamvis iam per plures vices resolventium aeque ac evacuantium usus reiteratus fuerit, singularis attamen irritabilitatis debitae defectus, cum insigni stupore coniunctus, exspectatum a necessariis adhuc medicamentis evacuantibus stimulum omnino respuerit; quo casu nihilominus convulsivi musculorum motus & debilitas ingens observabatur, cuius in putredine fomitis aeque sub praecordiis haerentis ac sanguinis ipsius caussa quaerenda erat. Ad avertendum summum in hocce casu imminens periculum, decoctum corticis peruviani ex eiusdem uncia una vel duabus cum aquae fontanae unciis sedecim ad evaporationem partis dimidiae coctis, & in huius decocti colatura resolutis salis mirab. Glaub. uncia una ad duas consistens exhibuimus, vesicatorium ex emplastro cantharidum cum camphora cuique surae applicavimus, & multum potum spiritu vitrioli acidulatum propinavimus. Plerisque hac ratione

ministratis post aliquot horarum spatium caput quodammodo exhilarabatur, mitis oboriebatur diarrhoea, qua acres atque foetentes humores educebantur, ac vehementia ex putredine oborta symptomata quam maxime leniebantur; hacque ipsa methodo ultra triginta homines in orci iamiam faucibus versantes conservatos esse certo certius persuasum mihi habeo. Ex his non sane paucis abdomen quam maxime tumidum fuit atque dolebat, quibus id ipsum linimento volatili inungere, & pannis laneis fricari iussi. In genere vero in horum medela reliqua medicamenta antiseptica, ut praeter spiritus vitrioli usum, potum frigidum, aceti in conclavibus vaporem, munditiem & aeris ambientis refrigerationem commendavi.

Ad criticarum evacuationum promotionem, & naturam in hoc ipso negotio suffulciendam vix non omnibus universam cutim, cuius pori squalore & putrido sudore obstructi erant, aqua tepida saponacea saepius abluendam curavi, post obortam otalgiam emollientia & attrahentia ex specierum emollientium decocto, admixto croco cataplasmata auribus atque parotidibus applicavi, ac post plura iamiam exhibita vomitoria atque laxantia, tenuius corticis peruviani decoctum cum aliqua salis medii cathartici & sulphuris antimonii aurati portione praescripsi, ut nervosum systema corroboretur, & natura in eliminanda materie febrili per diaphoresin aeque ac

per excretiones alvinas suffulciretur. Me nunquam ne minimos quidem adversos ex huius corticis peruviani decocti usu, ex drachmis sex cortic. peruv. in aquae fontan. libra una ad partis dimid. remanentiam coctis, in eius colatura solutis salis mirab. Glaub. uncia semis ad drachmas sex, admixta sulphuris antimonii aurati tertiae praecipitationis drachma semis ad unam consistentis, effectus, neque anxietates, nec fixatarum sordium signa observasse, certitudinis solatio suffultus asseverare equidem possum; e contrario ex eius usu suavem diaphoresin, exanthemata vere critica & lenes diarrhoeas semper cum levamine morbi, capitis exhilaratione & virium adauctione oborti animadverti. Sensim decrescente febre, illius decocti vires ita adauxi, ut corticis peruviani & ligni quassiae ana unciam ad sesquiunciam decoquendas curarem cum aquae fontanae libris duabus, donec remanerent unciae octo vel septem, in quibus colatis salis mirabilis drachmas tres ad unciam semis & sulphuris antimonii aurati scrupulos duos ad drachmam unam solvendas iuberem; cuius decocti plerisque omni trihorio quae cochlearia duo capere possunt, propinavi: donec demum febriles motus penitus evanuerint, quo casu tandem corticis peruviani & ligni quassiae pulveris ana scrupulum unum ad drachmam, semis ter quaterve in die hisce aegrotantibus dedi,

carnium iuscula pro cibo permisi, & bis quotidie, antequam ad prandium coenamve accederent, vel essentiam corticis peruviani compositam Rob. Whytt., vel elixirium vitrioli Mynſ. suetis dosibus cum vino propinavi. Remanentem audiendi difficultatem, nisi ex roborantium usu & parotidum suppuratione sponte abiret, nuchae vel post aures applicatis vesicatoriis plerumque feliciter profligare potui. Quos morbi recidivae adoriebantur, extemplo vomitoriis & secundum methodum antiphlogisticam tractavi, quamvis venaesectionem necessario adhibendam nunquam habuerim.

Habeas hic, B. L. eam, qua in duodecim pagis, *Udenhausen* nempe, *Vekerhagen*, *Vaacke*, *Hohenkirchen*, *Holtzhausen*, *Frommershausen*, *Ikringshausen*, *Ehrsten*, *Weimar*, *Heckershausen*, *Martinhagen*, *Sand*, epidemico hoc morbo decumbentes curandi methodo cum adeo felici successu usus sum, ut ex MCXCVII. eodem aegrotantibus, MCXXI. pristina valetudo in integrum restituta sit, & nisi pertinacia, atque inveterata radicataque paganorum praeiudicia variorum medicaminum salutiferorum usum non impedivissent tantum, sed etiam adhibitorum utilitatem variis diaetae erroribus labefactassent, plures sane morti eripi potuisse, certo certius persuasum habeo.

IO.

IO. EHRENFRIED POHL

PROF. P. ET O. LIPSIENSIS

ET

CAROL. CHRIST. FRID. MENZ

LANGOSALISSENSIS

DISSERTATIO

DE

VARICE INTERNO MORBORUM QUORUNDAM CAUSSA.

Lipsiae 1785.

§. I.

Medicum practicum tunc demum artis suae peritum, in eaque tractanda exercitatum dici iure posse, si anatomicis atque physiologicis principiis probe instructus, mutatam corporis animalis indolem ac morbosam rationem penitus atque uno quasi intuitu, ad aegrotum delatus, cognoscat ac diiudicet, omnes consentiunt, qui difficultatem cum studio atque exercitio rei me-

dicae coniunctam intelligunt. Nullum vero morbum cognoscere, eiusque sanandi methodum definire nobis licet, nisi in caussas ipsius, saepissime latentes, inquirere concedatur. Haec est haud dubie consensu omnium Auctorum ac Observatorum difficillima pathologiae pars, sive explicandae naturae morbi, sive curandi eius rationem spectemus. Contra ea certissimum est, doctrina de caussis morborum recte cognita atque assidua observatione usuque percepta, Medicum felici cum successu artem exercere multosque antecellere, qui, destituti hac cognitione ad aegrotum vocati, incerti ac dubii, quid in re praesenti consilii capiendum sit, hoc vel illud medicamentum eligunt, nec morbo tamen mederi possunt. Multorum quidem morborum caussae ita in promptu sunt, ut, collatis inter se iudicii rationibus, proxima morbi caussa statim agnosci queat, atque adeo eius medela facilis reddatur. Innumerae vero caussae nos latent; partim, quoniam nobis absconditas rerum origines indagare ob limites cognitionis humanae nimis arcte circumscriptos non permittitur; partim, quoniam hac ipsa notitiae nostrae tenuitate inducti, caussas principes interdum accidentalium loco ac numero habemus, partim, quoniam nobis vel plane non, vel difficulter saltem persuadere possumus, ex hac vel illa caussa talem effectum proficisci

posse; cum nexum omnium; quaecunque in morbo eveniant, non semper accurate perspicere queamus. Evenit inde saepenumero, ut, instituta corporum demortuorum sectione, longe aliam morbi sedem caussamque deprehendamus, ac propter rationes incerti ac ancipitis iudicii mox commemoratas opinati eramus. Interim sola dissectio cadaverum, quoad fieri potest, frequentissime instituenda ab antiquissimo inde tempore usque ad nostram aetatem multas antea occultas morborum caussas, originem item ac sedem olim incognitam detexit ac deteget imposterum, ut sperandum sit, Medicam artem, si studium anatomicae dissectionis ad pathologicam rationem accommodetur, uti iam saepissime fieri solet, & ex observationibus collectis conclusiones eliciantur, ad summum perfectionis gradum evectum iri.

Inter caussas occultas variorum incommodorum referendi mihi videntur varices & inprimis varices in internis partibus latentes, quorum quidem Auctores ita mentionem faciunt, ut eos morbis interdum occurrentibus annumerent, nec tamen tanquam caussas eorum recenseant. Oblata enim est mihi opportunitas, sectionibus cadaverum institutis, interdum observandi, eos, in internis partibus haerentes, morbos procreasse. Quae res quum paullo diligentius dispicere me

iusfisset, quatenus varices quorundam malorum fontes fieri possent, per praesentem scribendi occasionem de hoc ipso argumento, uberiori tractatione, ut mihi quidem videtur, haud indigno, quoad academicae exercitationis limites permiserint, differere animum induxi.

§. II.

Nomen varicum.

Ac primum quidem si veterum scripta curiose perlustremus, descriptionem quidem venarum tumentium hinc inde invenimus, in externis partibus observatarum, neutiquam tamen ullam varicum internorum illustrationem, ab illis exhibitam, deprehendimus. Nam viri, de re medica pariter ac chirurgica bene meriti, plerumque loquuntur de varicibus in cruribus pedibusve subinde animadversis. Iam etsi frequentissime ibi obvenire soleant, nullam tamen partem corporis animalis neque externam neque internam ab hoc incommodo liberam esse, observatione repetita edocemur. Fiunt caussae morborum, destructiones pariunt diversarum partium, variisque in locis occasionem praebent tumoribus varii generis, ulceribus, scirrhis &c. uti disquisitione post mortem suscepta patet ac luculentius pateret, si saepius dissectiones cadaverum concederentur.

In HIPPOCRATIS (a) ſcriptis per vocem κιρσὸς intelligitur tumor, a vena dilatata in cruribus ortus, paullulum elevatus. AUR. CORN. CELSUS (b), plurimique illius aevi Scriptores idem per varicem intelligunt, tumorem ſcilicet in foeminarum pedibus praecipue tempore graviditatis oriri ſolitum, mollem illum, coeruleſcentem, inaequalem, qui, dum a foetu in utero incluſo venae inferiorum partium plus vel minus profunde premuntur, a ſanguine ſtagnante & ibi collecto efficitur.

Ixia ab ARISTOTELE, varix, ramex, varicula ab Auctoribus latinis nominantur hi tumores venarum, praeter quae nomina nullibi accuratam rei ipſius deſcriptionem invenire licet. Videamus igitur, an deſcriptionem paullo accuratiorem tradere poſſimus, unde indoles morbi clarius cognoſcatur, ſimulque eluceat, quomodo varices aliorum morborum cauſſae exiſtere queant.

(a) In libro περὶ ἑλκῶν Sect. XVI. pag. 678. edit. v. d. Linden.

(b) De Medicina; Edit. KRAUSII, Lipſ. 1776. L. VII. cap. 31. Conf. GERARD. v. SWIETEN in Comment. ad BOERHAAV. Aphoriſm. Tom. IV. pag. 480. HEISTER. Inſt. Chirurg. Amſtel. 1739. 4. p. 1169.

§. III.

Differentia varicis ab aneurysmate & hydatide.

Si descriptiones varicis, ab antiquis Auctoribus aeque ac recentioribus (*a*) propositas, invicem comparemus, illos fere omnes contendere animadvertimus, varicem in vena esse idem, quod aneurysma in arteria ac hydatis in vase lymphatico est, dilatationem nempe vel tunicarum

(*a*) Confer. HIPPOCR. l. c. A. C. CELSUS l. c. LOWER. in Tractat. de corde C. 2. HILDANUS Centur. 4. Observ. 85. IOH. MUNNICKS in Chirug. ad Prax. hodiern. accommodat. Amstelod. 1715. 4to. v. SWIETEN l. c. T. I. pag. 166. Conf. M. AUR. SEVERINUS de abscessuum recondit. nat. Lugd. Bat. 1724. 4to. p. 216. 217. 227. cet. Cl. F. B. DE SAUVAGES in Nosolog. method. Lugd. Batav. 1768. 4to. varicem, cystidem venosam appellat T. I. Gen. XXX. p. 97. 173. I. LIEUTAUD Synops. univers. Prax. Med. Amstel. 1725. 4. p. 306. MORGAGNI de sedibus & caussis morborum, Venet. 1771. Fol. L. IV. ubi de tumoribus agit. CULLEN, Nosol. method. Gen. XI. p. 246. Systematic Elements of the Theory and Practice, by IOHN AITKEN cet. Edinburg. 1779. 8. p. 128. sqq. ANTON. DE HAEN. Praelection. in H. BOERHAAVE Inst. Pathol. edit. ab F. DE WASSERBERG T. I. p. 549. IOH. ZACH. PLATNER Inst. Chirurg. ed. 2. 1783. 8 cura KRAUSII §. 419. in not. it. BOERHAAVE in Prael. Acad. T. VI. p. 82.

venae, vel luminis totius vasis. Cum vero vena & structura & situ ab arteria & vase lymphatico differat, cum porro caussae ac symptomata plane discrepent, age disquiramus, annon hic ipse, de quo nobis sermo est, morbus de aneurysmate ac hydatide diversus sit. Quodsi ad originem atque indolem morbi attendimus, statim intelligimus, omnem venam facilius extendi, quam arteriam, quum eius tunicae, eaedem quidem ratione numeri, quae in arteriis, sint tenuiores tamen ratione structurae, quam in illis; itemque inprimis, uti satis constat, ob tenuissimam tunicam musculosam, excepta venae cavae illa parte, quae cordi proxima est, ac vena portarum. Probat tenuitatem tunicae musculosae minor elasticitas venae quam arteriae, pulsus defectus, sicut pellucens per venas sanguis minorem densitatem tunicarum in universum ostendit. Alterum argumentum desumitur a sanguine venosum ad lentorem prono, quoniam mixtio eius per secretiones factas mutata, glutinosaque ipse inprimis parte orbatus est: unde & regressus eius in venis, caussa levissima interdum accedente, consueto difficilior fit, imo plane saepe impeditur; collectus nunc vel in una, alterave parte venae sanguis vel in pluribus venis simul, haeret, stagnat, adfluente novo sanguine particulae sanguinis, iam spissae factae, au-

gentur, spissiores fiunt, atque ob lentorem coagulantur. Cum enim hanc ob caussam acidam indolem assumat? serosa ac lymphatica pars superstes, ad coagulum prona, facillime hanc subit mutationem, cuius rei indoles in considerando diverso varicum gradu mihi attendenda esse videtur. Propter has igitur caussas, inprimis vero propter deficientem vim elasticam vena facilius dilatatur, quam arteria; tunicae eius crassiores fiunt, quia tela cellulosa, unicuique earum substrata, multo minor ac tenuior quam in arteriis, cum membranis citius atque arctius cohaeret, ac mox vere coalescit. Inde fit, ut tumor varicosus celerius crescat in illam magnitudinem, quam consequitur plerumque tumor aneurysmaticus arteriae, in qua copiosior tela cellulosa substrata ac vis musculosa elasticitatem eius longius sustinet, atque adeo extensioni resistit. Etenim si vena vel externa vel interna, subito extenditur, aut sanguis in venas collaterales transit & plures formantur tumores varicosi, aut mox illa rumpit, sanguinemque effundit; id quod in aneurysmate non observamus, cum una tantum arteria, nunquam plures dilatentur, aneurysma per plures annos lente crescat & diu gestetur, nec tamen tam diversa incommoda, quam varix, producat aliisque morbis occasionem praebeat. Quod vero ad sedem

morbi attinet, disquiramus nunc, utrum varices solum inter valvulas reperiantur, an etiam in aliis locis venarum appareant. Videtur quidem sanguis faciliori ratione ibi colligi, stagnare & in circuitu impediri, quam in reliqua parte, si ad structuram valvularum respiciamus, & eos sequamur, qui ita statuunt (*a*): vero praesentia varicum in vena portarum ac vena pulmonali, quae valvulis carent, contrarium probat: imo distensio valvularum ac ruptura, si evenerit, effectus potius varicis, quam caussa proxima ac sedes haberi debet. Sed videamus de ulteriori analogia vel differentia aneurysmatis, hydatidis & varicis. Aneurysmatis quidem veri, sive tumoris, qui sanguinem rubrum in dilatata arteria continet, hae sunt notae: arteria si dilatatur, ubique aequaliter lente intumescit, & sensim formam ovalem circumscribit, ita ut limites extensionis definiri possint, sive magnus, sive parvus sit tumor: color cutis non mutatur, pulsus sentitur, digito admoto ac continuata pressione tumor evanescit, saltem ad tempus. Nam ob

(*a*) Vid. HENRIC. MEIBOM. Differt. de valvulis vasorum earumque structura cet. Helmstadii 1682. §. 63. & *Eiusdem Differt.* de motu sanguinis naturali ac praeternaturali ibid. 1668. §. 76. quae inveniuntur in Ill. HALLERI Disput. Anatom. select. Vol. II.

vim arteriae musculosam ubique eandem elasticitatem, minori tantum gradu quam in statu sano, servat. Equidem haud ignoro, pulsum pro signo certissimo tumoris aneurysmatici haberi: idem tamen non temere existimo, fallax hoc & incertum signum esse, cum si ille in aneurysmate vero circumscripto celeriter, ut interdum fit, crescat, pulsus vel valde debilis fieri soleat, vel plane tollatur, vel contra ea in tumore unoquoque alio, aut abscessu profundo, super quem arteriae repunt, aut inprimis in sacco polyposo, qui crescendo arterias cutaneas versus anteriora attollit, uti experientia edoctus scio, tactu percipiatur (*a*).

§. IV.

Definitio varicis.

Intelligimus vero per varicosam venam praeter modum a sanguine spisso dilatatam ac extensam, indolentem illam ac tumentem hinc inde, relictis variis interstitiis, ita ut serpentino tractu hinc elevata, inde depressa, flexuosa,

(*a*) Confirmat hoc Ill. PLATNER l. c. §. 422. Ill. RICHTER *Anfangsgründe der Wundarzneykunst*, *Göttingen* 1782. 1. *Theil*. §. 514.

undulata quasi & nodosa, ac veluti per partes spastice contracta appareat. Omnis eiusmodi tumor seu varix, mollis, colore vel variegato, vel ex rubro coerulescente insignis, inaequaliter serpens quidem, limites tamen canalis venosi semper definiens, unde & ab echymosi differt; cuilibet vel levissimae pressioni cedens, pulsu carens, ab aliis tumoribus congeneribus differt. Hydatis denique vel tumor vasis lymphatici obstructi qui tantum in fine eius, nunquam in media aut alia parte, sub forma bullulae sphaeroideae invenitur, nec unquam sanguinem, sed serum lymphaticum in se continet, facillime a varice distinguitur (*).

§. V.

Caussae varicis praedisponentes.

Perlustrata caussa morbi proxima, nunc ad caussas praedisponentes atque occasionales progrediamur. Inter priores quidem referimus laxitatem venarum generalem, inprimis vero partialem in quibusdam corporis partibus deprehendi solitam, e. g. in abdomine, pedibus, vesica urinaria, membranaceis partibus, superficie cutis cet. porro plethoram ad vasa, unde & in

(*) Hydatidis originem, quam hic Auctor cum multis aliis, ex vase lymphatico repetit, prorsus non verisimilem esse, breviter saltem hic averto.

sene varix saepius, quam in iuniore occurrit, sanguinis spissitudinem & dispositionem ad coagula, in venis frequentiorem ob aequabilem & lentum motum. Haec plethora ad venas conspicua, per quam πολυαιμίαν veteres intelligunt, i. e. plethoram ad vasa, caussa varicis fit in homine solito debilioris habitus, in quo venae, laxiores semper quam arteriae, a copia sanguinis densi ac bene mixti nimis distenduntur, tandemque omni fere elasticitate amissa, tument ob sanguinis recursum retardatum vel plane impeditum. Eiusmodi enim sanguis particulis nimis bonis, si ita dicere fas est, ac oleosis abundans facili negotio spissus & ad coagula pronus redditur? Transit quidem semper adhuc pars sanguinis in venas laterales, sed idem nascitur ibi incommodum, unde & plures venae varicosae simul existunt; quo fundamento nititur distinctio varicis in solitarium atque nodosum (a) vel ramosum. Impeditur vero etiam in venis regressus sanguinis, si nimio impetu sanguis arteriosus versus venas movetur, dum suppressa v. c. perspiratione in uno alterove loco motus intestinus sanguinis augetur, vel si motus muscularis circulationem non adiuvat, quapropter stases &

(a) Vid. F. B. SAUVAGES Libr. c. Amstelod. 1768. 4to. Tom. I. pag. 163. it. I. I. PLENCK Nov. Syst. tumor. Vienn. 1767. 8vo. pag. 144.

coagula oriantur, venaeque dilatentur ac tumeant necesse est. Si porro vel nimia pars terrea, vel materia acris, scrophulosa, arthritica, scabiosa, vel alius indolis, in sanguinem conversa mixtionem eius mutat, spissum illum reddit, in venis etiamsi per arteriarum vim musculosam propellitur, facillime haeret ac thrombum format, cui eiusdem naturae adfluens sanguis adhaeret, obstructionem efficit, venam dilatat, ac varicis ortui occasionem praebet. Annon interdum concretiones polyposae, in venis maioribus, refluxum sanguinis prohibentes, caussis, hactenus commemoratis, adnumerari ac varices in minoribus venis producere possint? Ea vero quaestio est, quae accuratiori Medicorum examine non videtur indigna. Illud autem facile puto intelligitur, venarum tumores saepenumero ab involuntariis musculorum contractionibus sive motibus spasticis procreari. Venae enim, uti satis superque constat, musculis propius adiacent, ac quasi inter superque eos repunt, quam arteriae, profundius sub musculis positae, ideoque plus patiuntur, quam hae, si spasmus diutius duret. Pertinent huc spasmi hysterici, hypochondriaci, itemque illi, qui ab acri lympha, ad interiora viscera conversa, oriuntur, motus epileptici, convulsivi inprimis foeminarum, quae defectu menstruorum laborant, nec non gravi-

darum, durante partu & post eum existere soliti. In hoc ultimo casu spasmi ad partem quandam definitam venae, vel ad quasdam venas sanguinis affluxum efficiunt, unde evenit, ut venae, nimis irritatae, elasticitate priventur, laxae fiant, & ad sanguinem inter cavum suum retinendum disponantur. Tumores metastatici post morbos acutos ad viscera orti, aliique praeternaturales, cystici, scirrhosi, ac carcinomatici in interioribus cavis producti ac latentes, qui pressione ramis venarum nocent, regressum sanguinis impediunt & ad varicem disponunt. Morbosa inde a nativitate dispositio partium corporis animalis, & mala conformatio ossium capitis, spinae dorsi, pectoris, pelvis atque extremitatum, inprimis inferiorum, praeternaturalis directionis vasorum caussae fiunt, ideoque difficilem, retardatum ac impeditum regressum sanguinis per venas efficiunt. Neque minus evacuationes, uti inprimis sanguinis, ita & aliorum fluidorum, crebrius impeditae, inter caussas praedisponentes referri debent; item vigor motus peristaltici in ventriculo & intestinis suppressus, respiratio anxia ac languida, aer in intestinis retentus, & id genus alia, quae diligentem sane Medici attentionem merentur.

§. VI.

Caussae occasionales varicis.

Quod vero ad occasionales caussas attinet, inter eas numero omnia, quae antea enarratas praedisponentes gignunt, & per pressionem, in venas factam, regressum sanguinis ad venam maiorem minuunt, vel plane supprimunt. Huc itaque referri debent ea, quae haemorrhoidum originem accelerant, vita sedentaria, pectoris & abdominis compressio, nimia quies itemque nimius motus post pastum, inprimis nisus foecum excretionem crebrius cohibendi, regimen nimis calidum, potus calidioris copia, balnea valde calida, usus crebrior medicaminum valde irritantium ac relaxantium, acidorum, dulcium, opiatorum e. g. cet. abdominis, pectoris, extremitatum inprimis inferiorum strictior ligatura, inordinatus fluxus menstruus, graviditas, membri cuiuscunque violenta extensio, onerum gestatio in tergo, capite, casus ab alto, ictus, & uti Cl. PLENCK (*a*) contendit, incessus diuturnus in lacu, in quo hirudines latent; saepius repetita vanaesectio, applicatio intempestiva ac crebra cucurbitularum & hirudinum, qua

(*a*) In L. de tumoribus pag. 143.

interdum uti solent, qui haemorrhoidum fluxum supprimere student; scarifatio inepte adhibita, e. g. in ophthalmia sanguinea, ut plus una vice observare licuit, applicatio aquae frigidae ad coercendum sudorem pedum, aliarumque partium. Praetermittam nunc plures errores, qui quotidie committuntur, nec damna viliora afferunt.

§. VII.

Effectus varicis.

Iam vero effectus breviter colligamus, qui has caussas praegressas sequuntur. Simulac igitur sanguinis stasis gignitur, neque ab initio tollitur, venae premuntur, reditus sanguinis & praestanda resorptio per venas minores impeditur, obstructio ac repletio venae, seu accumulatio sanguinis crassi oritur, quae eius tumorem seu varicem efficit. Resistit interdum, ac fere semper vena, nisi nimis laxi habitus est, extensioni, ac promovere conatur regressum sanguinis, ad quod multum conferunt valvulae, quibus deficientibus maius utique malum orietur. Illae enim, quoniam sese expandunt, sanguinem propellunt & suo robore violentiae externae pro viribus resistunt; nunquam enim circa hos nodulos

dulos ita extendi venas animadvertimus, si venam varicosam accurate disquirimus, uti plerumque putant, ob maiorem ibi a valvularum ortu & principio proficiscentem crassitiem ac densitatem. Si itaque quibusdam videantur venae eo usque dilatari, ut valvulae dimittere sanguinem cogantur, erroneam puto esse sententiam, quum illae tunc demum dilatantur, cum non rumpuntur, aut ob debilitatem parietibus vasorum applicantur. Quapropter, si valvulae venosae in varice patiuntur, id effectum morbosum potius, quam caussam dicerem. Varicosi tumoris effectus sensim, non subito mutantur ac graviores fiunt, qui ab initio vix attendendi videbantur; quamdiu enim tumor formam suam non mutat, tamdiu sanguis consueto paullo spissior, fluidus tamen adhuc, venas vicinas quaerit, eas extendit, atque adeo rete quasi venosum, sive in externis sive in internis partibus oriatur, uti id saepe observare licet, formatur, atque tumor mollis limitibus suis circumscribitur.

Simulac vero tumor increscit, atque forma eius mutatur, cum ex rotunda in ovalem vel elipticam transit, iudicandum est, sanguinis motum iam lentiorem factum esse ac plane impediri, ita ut coagula oriantur, sanguisque in formam solidam, lamellatam ac carni similem substantiam abeat. Si incrementum capiunt va-

rices, maiora incommoda proferunt; acer fit in iis contentus sanguis, irritatio ac pruritus oritur, & inflammationem subeunt, quae saepe suppuratione, gangraena ac sphacelo finitur. Verum etiam tumores ipsi subito rumpuntur, echymosin proferunt, vel si locum elegerint, quo sanguis effluere possit, haemorrhagiam efficiunt ingentem, vel periodicam, vel continuam difficillime compescendam. Exemplo sit nobis carcinoma, in quo saepissime auxilium Chirurgi aut Medici requiritur, ad effluxum sanguinis magnum, gravissimis symptomatibus, lipothymia, nervosis affectionibus cet. stipatum, ac saepius recurrentem, ita ut mors tandem exinde sequatur, compescendum. Comprimuntur ab iis partes vicinae, ita ut sanguinis circulatione impedita, vel novi varices, vel tumores varii generis, dolores summi, spasmi, obstructiones aliaque oriantur. Si dissectionem corporum instituimus, febre putrida, vel intestinorum sphacelo demortuorum, maculas lividas, nigricantes in tela cellulosa, ac tubercula detegimus, quibus ulterius disquisitis, patet, varices in venis maioribus ac minoribus adesse, ita ut primo intuitu inflammatione vera partes hae interiores laborasse videantur, ac deinde, illa in sphacelum abeunte, mors insecuta esse. Sequitur in eo morbo sine dubio sphacelus ex stasi, in venis orta,

quoniam regreſſus ſanguinis ad vaſa maiora impeditur; lentor vero ſanguinis acris, ad reſolutionem iam proni, irritatione fibram venae laxam mox deſtruit, erodit & telam celluloſam replet, illaque ſymptomata gignit. Idem in ſic dicta inflammatione venoſa quorundam, quae tamen ſemper pro effectu inflammationis, nunquam pro inflammatione vera habenda eſt, de qua tam multum inter Ill. HALLERUM alioſque diſputatum eſt, obſervare licet. Confirmant ea, quae diximus, luculenter obſervationes a MORGAGNI (*a*) hac de re iam factae, ubi egregie per ſectiones, crebro inſtitutas, demonſtravit, ſe loco inflammationis verae ibi, ubi nulla febris, nulla ſigna inflammationis praegreſſae adeſſent, venas varicoſas, echymoſin in telam celluloſam, vel tubercula nigricantia, livida, putrida, quae ſphacelum ac mortem produxiſſent, reperiſſe. Reſpiciendum eſt, ut puto, tunc potiſſimum ad bilem depravatam, quae ſeſe non raro in putridis & inflammatoriis morbis ſanguini per reſorptionem immiſcet, & febrem vel irregularem ac complicatam reddit, vel, quoniam

T 2

(*a*) De ſed. & cauſſ. morbor. Libr. III. Epiſt. XXXV. ſqq. de dolore inteſtinorum: eandem ſententiam fovent Ill. RICHTER in Inſtit. Chirurg. pluresque recentiorum.

regressus sanguinis tollitur, eam plane supprimit, lentoremque universalem inducit, unde resolutoria destructio sequitur. Partes varici proximae, tela cellulosa & cutis ita premuntur, ut inflammatio oriatur, qua vel discussa, vel inciso varice, si parvus est, aut sponte rupto, vel abscessu formato, durities cutis in eo loco semper remanet, vasaque varicosa, partim destructa, partim servata in cute sub forma macularum vel ramorum subtilissimorum, cruore tinctorum, apparent, & cum cute ac tela cellulosa concrescunt. Vestigia huius rei remanent in cute post apertos ac curatos furunculos atque anthraces aliosque tumores.

§. VIII.

Morbi capitis ex varice.

Quibusdam effectibus generalioribus, qui ex varice oriuntur, commemoratis, studeamus nunc demonstrare, morbos singulos per varicosos tumores gigni posse. Proposuimus autem nobis inprimis agere de varice, in internis partibus corporis occurrente, inde & solummodo disquirendum est, quatenus hic vel morbos internos vel externos procreare soleat. Qua de caussa & liceat nobis iam soli distinctioni in in-

ternos ac externos varices insistere, nec definire, utrum prolatae ab observatoribus quibusdam divisiones in communes, proprios, magnos & parvos, in ordinarios ac monstrosos e. s. p. locum habere possint, nec ne: cum non dubitem, eas saepe fundamento distinctionis carere (a). Si regressus sanguinis ex capite per venas iugulares difficilis sit, vel plane impeditur, oriuntur saepissime dolores capitis gravissimi, ac fixi illi vel in vertice, vel in fronte, vel in uno alterove latere, qui nullis medicaminibus cedunt; oritur postea vertigo, syncope, paralysis, denique apoplexia. Si uterus e. g. durante graviditate, inprimis circa finem eius maxime distentus, vel quaecunque alia pars, cuius vasa sanguine repleta sunt, omnes partes vicinas comprimit, motus sanguinis versus caput augetur, ideoque sanguinis venosi regressus ad cor nimis acceleratur, ita ut pulmo minus commode ac libere sanguinem transmittere possit, quapropter sinus venosus & auricula anterior turgent sanguine, nec sanguis venosus ex iugularibus venis regredi queat; venae & sinus cerebri,

(a) Conf. B. GOTTLOB FRIEDRICH RICHTER Diss. Med. Chirurg. de gravidarum varicibus Lips. 1781. 4to. §. 4.

sanguine spisso reddito, relaxantur, distenduntur, ac varices formant, qui in substantia cerebri corticali, praesertim autem in meningibus apoplectice demortuorum saepius deteguntur. Sic pari ratione varices in plexibus choroideis cerebri eorum, qui apoplexia lethali subito afficiuntur, invenimus, quibus dissectis, non sanguis fluidus, sed spissus reperitur. Ex his concludimus, obstructionem & dilatationem venularum, lente factam, caussam mortis repentinae esse.

MORGAGNUS, in Opere de sede & caussa morbor. L. I., praeclaras de hac re nobiscum communicavit observationes, quae nostram sententiam illustrant. Quam saepissime enim vasa venosa minima corticis, meningum cerebri, plexuumque choroideorum varicosa in eiusmodi hominibus, qui longe ante de affectionibus capitis conquerebantur, nunc subito mortuis, deprehendit. Similiter invenimus sanguinem grumosum, extravasatum atque in ventriculis cerebri contentum in iis, in quibus venae plexuum choroideorum vel ruptae vel erosae erant.

Disquisitio ophthalmiae ac morborum oculi accurata coniuncta cum sectione anatomica oculi nos ducit ad abscondidas caussas in varice quaerendas. Schirrus & ipse cancer palpebrarum, inprimis ea species cancri, quam recentiores Chirurgi *verrucosum* vocant, oritur solum a vasis

varicosis membranarum oculi ac integumentorum, premuntur enim ab iis glandulae, & secretio lymphae impeditur; longe interdum latent, tandem vero, ubi nulla cura admittitur, caussae evidentes fiunt. Pertinent ad morbos oculorum, ex hoc fonte deducendorum, *morum* sic dictum palpebrarum, species naevi, verrucae cancrosae palpebrarum, ophthalmiae chronicae, varicositas coniunctivae, cuius duae species existunt, simplex, ac complicata cum pterygio, quam Graeci *cirsophthalmiam* vocant; carcinoma vulgare bulbi, ubi vasa albugineae varicosa, sanguine atro infarcta, carnea quasi redduntur, sensim totum bulbum, ob regressum sanguinis impeditum, scirrhosum efficiunt, ita ut visus pereat (*a*).

§. IX.

Morbi narium ex varice.

In tribus recens natis infantibus observavi incommodum, in organo narium sedem suam figens, quod observatione dignum mihi visum, ut sequelam venarum varicosarum consideravi. Duo infantes, eadem matre intra tres annos in

(*a*) Confer. IOS. IAC. PLENCK Doctrina de morbis oculorum, Edit. 2da. Vienn. 1783. 8vo.

lucem editi, primis diebus bene valentes, die octavo vel decimo circiter post partum, primum inquieti, febrili calore vexati, deinde paullo tranquilliores facti, stillicidio sanguinis e naribus afficiebantur, quod non continuo, sed interruptis vicibus observabatur, atque stertore. Paullo post sanguis congrumatus ac nodulorum ad instar sternutatione eiiciebatur magna cum vi per quosdam dies, quo tempore etiam per anum eiusdem formae sanguinis grumi nodosi, lividi, longitudine dimidii pollicis, ac digiti minimi crassitie copiose excernebantur. Applicata externa ac interna medicamina nullum praestabant usum, nisi hunc, ut excretio promoveretur illius sanguinis. Detexi interea, excreta e naso, ex parte saltem, formam ramulorum minimorum vasculosorum habere, quapropter ea in aquam immisi, quo viderem, cuius indolis essent: resolvebatur sanguis, ac partes membranaceae, quae vasa tenuia sine dubio venosa erant, remanebant (*). Sic quosdam dies misere vivebat natu maior infans, & decimo quarto die moriebatur. Parentes non denegabant sectionem cadaveris, quam ab illis petii: qua instituta, in interiori cavo intestinorum ac in superficie eorum ingentem copiam venarum varicosarum, item in

(*) Polypos, non vasa fuisse, dicendum credo.

pleura, atque pulmone, ac denique in meningibus & cortice cerebri inveni, quarum quaedam libere in cavis haerebant. Alter infans, anno praeterito natus, die duodecimo post partum iisdem vexabatur symptomatibus, excepto eo, quod nullus sanguis per anum excerneretur; nasus intumescebat ad radicem eius praesertim, accedebat debilitas summa, ob copiam sanguinis, per nares excreti, & infans soporosus fiebat, ita ut de adhibendis remediis analepticis ac roborantibus cogitarem. Commendavi inde epithemata externa ex aceto & aqua frigida; capiti ac abdomini imponenda: iunxi his solutionem extr. cort. peruviani cum aqua Rabelii, quibus autem haec excretio non sistebatur, sed mitigabatur. Post quatuor septimanas, quamquam interea saepissime mortem timuerim, cessabant haec incommoda, infans sanitatem pristinam recuperabat, & vegetus adhuc vivit; unica tantum vice symptomata morbi, sed multo mitiora, reverterunt ante duos menses accedente tussi, ita ut particulae quaedam grumosi sanguinis excernerentur, sine incommodo tamen. Mater horum infantum, ceterum sana, raucedine ac paraphonia interdum afficitur, quo incommodo reliqui duo eius infantes, qui liberi a malo commemorato fuerunt, pari ratione continuo fere vexantur. Idem postea in alio infante quasdam se-

ptimanas poſt partum quoque obſervavi, qui vero ſanitati reſtitutus eſt, ſine ullo incommodo relicto. Eadem ratione non dubito, cauſſam haemorrhagiae narium in iunioribus, dum vel in febre a dentitione orta, vel dum celere incrementum capiunt, ubi congeſtiones ſanguinis verſus caput oriuntur, in venis relaxatis ac inde dilatatis, nonnunquam ſaltem, quaerendam eſſe. Polypi narium ii, quos fere ſemper, praecedit dolor capitis fixus, gravis ac diuturnus, ex venis varicoſis oriri videntur, quae in vicinia eorum inveniuntur, & haemorrhagiam vel ſpontaneam, vel periodicam, vel excitatam per applicationem forcipis, in ligatione eorum comitem habent (*a*). Haemorrhagiae narium periodicae exempla mihi duo nota ſunt: curae meae traditus erat vir quadraginta circiter annorum, qui iuniori aetate moliminibus haemorrhoidalibus laborabat, quae anno trigeſimo ceſſabant; ab eo tempore de dolore capitis ab obſtructione narium conquerebatur, quorum incommodorum levamen ſenſit, accedente haemorrhagia periodi-

(*a*) Confer. OLOF ACREL, Chirurgiſche Vorfälle, a. d. Schwed. überſ. von D. I. A. MURRAY, Goetting. 1777. 1. Theil. pag. 158. Ill. RICHTER in Obſerv. Chirurg. Faſcic. II. pag. 127. MORGAGNI de ſed. & cauſſ. morbor. L. I. Epiſt. XIV. de morbis narium & aurium.

ca , id quod per tres fere annos duravit ; omnes & minimae venae cutaneae faciei , inprimis vero ad radicem nasi & ad genas nigrescente turgebant sanguine . Ante tres , & quod excurrit , annos polypus pendebat valde crassus , totam cavitatem nasi replens ex narium orificio sinistro ; cum Chirurgus extrahere eum conaretur , haemorrhagia ingens sequebatur , ac aeger per os & nasum magnam copiam sanguinis atri & lividi eiiciebat . Applicabantur adstringentia ad sistendam haemorrhagiam & pars polypi extrahebatur. Curatione finita , iterum per annum fere totum haemorrhagia cessabat ; paullo post revertebatur, polypus magnus e naribus pendebat & chirurgico auxilio usurpato exstirpatio eius tentabatur , qua feliciter peracta , curaque iusta adhibita , aeger sanitati perfectae restituebatur.

§. X.

Struma ex varice.

Quamquam strumae quidem utplurimum inter morbos glandularum referuntur , & lympha spissa ac coagulata ut caussa proxima assumitur , tamen patet ex observatione , tumores eiusmodi ibi quidem , ubi glandulae magnae sitae sunt , ortos , uti e. g. ad collum , vel etiam alibi ,

non in morbis glandularum numerandos, sed ut caussas eorum considerandos esse, quoniam ut sacci varicosi, sanguine grumoso ac atro repleti, glandulas vicinas premunt, motum ac secretionem lymphae turbant, ac plane impediunt, indeque glandularum obstructionem ac indurationem gignunt, qua de caussa fere semper etiam aliquid scirrhosi secum coniunctum habent.

Videtur iam a CELSO (a) aliisque superioris aetatis Medicis haec differentia animadversa fuisse: iidem tamen haud dubie veram eius indolem non plane cognoverunt. Quae tamen hodie accuratius observata & explorata sunt, docent, reperiri speciem strumae, quae a varice producitur, morbumque curatu vel difficilem vel curam plane respuentem, uti laudati Auctores iam adnotarunt, gignit. Puerperae, si vehementibus ad partum doloribus vexantur, struma colli afficiuntur ac exinde difficultate respirandi, quae subito durante partu ipso oritur, nullisque medicamentis vel externe vel interne

(a) De Med. L. V. c. 28. n. 7. *Struma*, inquit, *est tumor, in quo subter concreta quaedam ex pure & sanguine quasi glandulae oriuntur*. M. AUR. SEVERIN. l. c. de novissime observatis abscessibus L. I. c. 1. pag. 173. & V. pag. 186. sqq.

applicatis cedit. Crescit hic tumor interdum, caussis occasionalibus accedentibus, nimio motu, celeri cursu, e. s. p. & inprimis augetur, si illae iterum partum edunt, caussaque partus valde difficilis existit, quoniam vires respiratione anxia & anhelosa debilitantur, quae ad partum edendum requiruntur. Tumor hic plerumque mollis est, etiamsi cutis concolor maneat omniaque signa varicis adsint; accedit & hoc, quod venae cutaneae varicosae elevantur, quod deglutitio ac loquela difficilis redditur, quod vi magna interdum accedente, tumor rumpitur, sanguinemque fundit. Sectione instituta invenimus glandulas sub tumore compressas, ac fere scirrhosas, vasa varicosa circa tumorem bene multa, & videmus tumorem, qui strumam mentiebatur, nil esse nisi venam dilatatam ac sanguine spisso repletam, quae mole aucta, vicinas glandulas compresserat, adeoque caussa morbi facta erat. Pari ratione struma in collo talis oritur, si quis nimis celeriter ac situ minus naturali corpore inclinato se versus terram flectit, ad tollenda pondera nimis magna, ad dimovenda corpora graviora e loco quodam in alium, ad ferenda onera e. s. p. quo in casu aegri plerumque de sono ac dolore tum in illa regione percepto conqueruntur, ubi struma oritur. Si hoc incommodum ut morbum glandulae conside-

remus, eaque medicamina adhibemus, quae in ſolvenda glandula indurata, vel ſchirro curando uſum praeſtant, apparebit noſtrum auxilium irritum fore; ſin vero reprimentia, & adſtringentia ſtatim ab initio applicamus, malum ſaepe tollitur (a). Haec omnia, quaecunque iam propoſuimus, demonſtrant, dilatationem venarum cauſſam proximam illorum morborum utique eſſe indicationemque eo dirigendam, ne plus medicamentis noceamus, quam iuvemus.

Neque minus in oeſophago varices exiſtunt, unde deglutitio difficilis redditur; inveniuntur porro varicoſae dilatationes venarum ad vuulam, ubi nimis magna vi inter deglutiendum adhibita oriuntur, formam variam, rotundam, ablongam, vel aliam aſſumunt, & ſi vel per os partes earum eiiciuntur, vel diſcinduntur, ut ſcio tale exemplum, collabuntur & ſanguinem emittunt. Sic memini me duplici vice in vuula ſcirrhoſa vidiſſe eiuſmodi varicoſas venas admodum multas, inque tota parte interiori ac poſteriori

(a) Conf. hac de re: Traité des maladies Chirurgicales & des operations, qui leur conviennent, par M. M. CHOPART & DESAULT cet. à Paris 1779. T. I. II. cuius libri verſio germanica edita eſt Lipſiae 1783. ubi varia huius incommodi exempla, praecipue Tom. I. pag. 359. commemorantur; it. O. ACREL l. c. paſſim, MORGAGNI, LIEUTAUD, cet. l. c.

oris ac faucium ; & vix dubito , qui fcirrhofae indurationes glandularum faucium a fola compreffione per venas varicofas facta oriantur. In deglutitione per varices difficiliori reddita omnia medicamenta emollientia nocent , gargarifmate vero adftringente adhibito faepe impedimenta removentur.

§. XI.

Morbi pectoris ex varice oriundi.

Superius iam diximus , fanguinis regreffum ad vafa maiora atque cor retardari , vafa inde minora diftendi & varicofa fieri , morbofque capitis inde proficifci . Videamus iam , annon in cavitate pectoris occurrentes morbi ex eodem fonte deducendi fint . Afthma , f. difficultas refpirandi ex venis varicofis laryngis , tracheae & bronchiorum , vel pulmonarium venarum dilatatarum ortum fuum faepe ducit , uti id obfervare licet in iis , qui fcrophulofi & phthifici nafcuntur , qui male conformata pectoris offa habent , quorum cavitas pectoris inprimis a parte anteriori valde depreffa invenitur , vel eorum , quorum pulmonum lobi pleurae adcreti funt . Variae porro fpecies haemoptoes , inprimis periodicae , chronicae & habituales , quibus foe-

minae praecipue subiectae sunt, quae suppresso menstruorum fluxu laborant, ita ut mares, qui obstructionem haemorrhoidum patiuntur; nisi essent hae haemoptoes species ex venis varicosis, non per multos annos ferri commode possent; alia enim est conditio earum, quae ex rupto vase sanguifero oriuntur, quo in casu semper pulmonis laxa indoles laeditur, & ulcerum origini occasio praebetur. Eiusmodi hominum vasa pulmonalia venosa fere omnia varicosa post mortem inveniuntur; id quod, si sanguinem reiectum durante vita illorum disquirimus, iam suspicari possumus, nam grumi sanguinis cum sanguine tenui, fluido commixti, imo saepissime formam nodosi vasis referentes, sine ulla praegressa caussa irritante, sponte quasi ac sine magno incommodo exspuuntur, aegrique bene se habent, hac evacuatione facta. Exemplum ea, quae diximus illustrans, communicatum mihi est ab amico quodam, qui praxin medicam cum laude exercet. Demandata erat curae eius foemina, quae de tussi, raucedine, ac sensu ingrato in ore conquerebatur, venae oris varicosae erant, & sanguine turgebant; sequebatur haemoptoe non adeo insignis per os, & tussis cessabat. Appellant hoc incommodum quidam haemorrhoides oris, vel haemorrhagias venosas, quarum caussae principes varices, in illis locis ex haemor-

nor-

morrhoidibus suppressis orti, esse videntur. Describit eiusmodi haemoptoen varicosam Cl. PORTAL (*a*), quae tussim sequebatur per longum tempus sine damno, ubi dilatata vasa sine dubio glandularum pulmonalium scirrhos pressione produxerant. Phthiseos porro species una aut altera sine dubio exinde originem ducit, si vel ob laxitatem visceris obstructiones in systemate venoso hinc inde existentes, propter debilitatem venarum sensim augentur, unde venae dilatentur & tumores varicosi oriantur, necesse est, quam phthisin non immerito varicosam dicere possumus, ac cum phthisi haemoptoica, melancholica, hysterica MORTONI, & SAUVAGESII (*b*) coniungere. Sic quoque post pleuritidem spuriam & peripneumoniam, inflammatorios morbos pleurae & pulmonis in genere, vel incognitos, vel neglectos, vel male tractatos, haud dubie obstructiones venarum in membranis, in tela cel-

(*a*) Dans les Memoires de l' Academie Royale des Sciences de Paris; a 1780. p. 315. inserta est haec tractatio *in den Sammlungen für practische Aerzte* 10. *B.* 3. *St.* *S.* 404. *u. f.* MORGAGNI plura exempla huius rei colligit in L. de Sed. & c. Morbor. Epist. XV. sqq.

(*b*) MORTONI Phthisiologia, vers. german. Helmst. 1780. SAUVAGES l. c. T. II. Cl. X. ord. 2. p. 451.

lulosa, ac substantia visceris ipsius remanent, quae diu latent, lente crescunt, & tandem, si vere tument, incommoda varia proferunt, nodos s. tubercula, scirrhos, unde phthisis oriatur. Varicosae vero & ipsae venae maiores, cava ac pulmonalis fieri possunt: inveniuntur interdum magni tumores venosi sanguine repleti in partibus externis, qui ut effectus varicum internorum considerari debent; vasa enim interna partim telam cellulosam premunt, quae tumores format sanguineos, partim vasa externa, in quibus circulatio celerior redditur, quoniam in interioribus lentior observatur, dilatat, unde tumores ex variis lamellis, si dissecamus, efformantur, qui difficili ratione curantur, quoniam cum vasis maioribus internis coniuncti, evacuato sanguine semper iterum replentur; vel compressione externe applicata, respirationem anxiam efficiunt, & nullam omnino medelam admittunt, nam rumpuntur tandem impetu uno vasa maiora, effunditur in cavitatem pectoris sanguis, & mors repentina sequitur. Oriuntur omnes illi tumores, qui saepissime pro aneurysmate habentur, plerumque ex levissimis caussis, ex ictu, compressione, vel motu praeternaturali corporis suscepto, uti id Cl. ELSE (*a*) quibus-

(*a*) Vid. the Works of the late IOHN ELSE, F.

dam exemplis illustrat; laeduntur vasa interna maiora, relaxantur, dilatantur, imo rumpuntur, exinde tumores aliaque incommoda in externis partibus, uti iam dixi gignuntur. Refero huc exemplum morbi in viro quodam observati, cuius indoles singularis erat nosque in indicatione saepe dubios reddebat, tandemque morte inopinata finiebatur.

Vir, cuius humores a nativitate nunquam optimae indolis, per vitam sedentariam acriores redditi erant, a trigesimo circiter anno, inter varios leviores morbos ophthalmia chronica afficiebatur, quae per intervalla gravior vel mitior, interdum tamen tam gravis erat, ut radios lucis, oculum afficientes, plane evitare cogeretur.

R. S. to which is added an appendix containing some cases of the Hydrocele, by GEO. VAUX London 1782. 8. cuius libri versio germanica prodiit Lips. 1784. p. 78. Huc pertinere videntur historiae morborum variae a M. A. SEVERINO traditae in libro de selectis abscessibus, ubi partim quosdam tumores sub denominatione varicis, partim sub aliis nominibus descripsit; ac figuris illustravit. Cl. ELSE bene monet, Chirurgos atque Medicos hos tumores venarum accurate cognoscere debere, quo medicamenta iusta adhibeant, nam nisi ab initio, ut indoles eorum poscit, sed ut aneurysmata tractantur, eventus semper tristis erit.

Consilio Medici ac Chirurgi cuiusdam tunc temporis scarificatio oculi suscipiebatur, quoniam variculae palpebrarum, ac membranae coniunctivae innumerae aderant; qua facta levamen per quoddam tempus sentiebat. Dissuadebat alius Medicus scarificationem, & praedicebat maiora mala, inde secutura, aeger vero fidens huic medelae multum, eligebat operationem. Afficiebatur annis fere quinque post illam institutam febre catarrhali maligna, qua superata, videbatur malum multum imminutum esse, ita ut per annum fere integrum nulla incommoda experiretur. Subito revertebatur inflammatio, ac varices venarum oculi tumebant: oriebatur dolor summus, intumescentia palpebrarum, ectropium s. extraversio palpebrae inferioris versus exteriora, exulceratio eius, ita, ut verum cancrum verrucosum, de quo paullo ante dixi, referret.

Omnibus fere remediis incassum adhibitis aeger usum eorum impostetum respuebat, & praeter diaetae regimen bonum, interdum remediis laxantibus, inprimis vero tempore vernali succis plantarum recenter expressis cum iusculo carneo, ac aquis mineralibus laxantibus, similibusque remediis utebatur; ita ut annum quinquagesimum secundum aut tertium attingeret. Vitae conditio ac officium, quo fungebatur, requirebant tamen, ut motum corporis raro

exercere posset; ut multum ac diu loqui, plerumque corpore inflexo, deberet, utque denique pars superior pectoris a vestimentis valide comprimeretur. Factum inde est, ut in parte sinistra colli ad partem superiorem ossis sterni, tumor parvus, non adeo mollis; vix conspicuus, magnitudine nucis avellanae parvae oriretur; cutis erat ubique concolor, nulla pulsatio ibi tangi poterat, nec magnum incommodum exinde sentiebatur. Hic tumor ex improviso subito increscebat, respiratio valde anxia reddebatur, per intervalla ab initio quidem, postea tamen continuo; anxietas augebatur, si tergo incumberet lecto, quaeque tam insignis per totum decursum morbi erat, ut ex caussis in cavitate pectoris latentibus nec ex tumore externe conspicuo ortum ducere posse videretur. Cum iam pomi parvi magnitudinem tumor attigisset, aegerque valde anxius esset, auxilium Medicorum ac Chirurgorum imploravit, qui nos omnes dubii de indole tumoris, incerti eramus de remediis eligendis & auxilio ferendo. Alii tumorem cysticum, alii glandulam induratam ac scirrhosam esse putabant; applicabantur remedia emollientia, cum discutientibus coniuncta, sed nulla sequebatur mutatio, nec negligebantur medicamenta interna, sanguinem purificantia, aliaque. Tandem, cum integumenta tumoris insigniter

dura essent, nam in aponeurosi musculi latissimi colli, quae etiam extensa ad partem supra tumorem erat, & duritiem atque tensionem eius augebat, consilium cepimus, illum aperiendi; integumentis communibus cruciatim separatis, tumoris facies livida ac nigricans erat, atque tunica vere aponeurotica valde firma tecta. Nulla pulsatione in eo detecta, caute aperiebatur, quo facto sanguis partim grumosus, coagulatus, partim fluidus adhuc emanabat: in integumentis duae parvae arteriae reperiebantur, quae ligabantur, quoniam compressio earum non adhiberi poterat, tumor enim discissus parum tantummodo cedebat, durus ac elevatus potius restabat, nec sanguinis fluxus cessabat. Separatis partibus cutis superfluis vulnus sanabatur paullo post, ac tumor evanuit: omnia tamen symptomata eadem erant, conquerebatur de oppressione pectoris, respiratione anxia, & paroxysmi febriles leviores quidem, eodem tamen gradu ut antea, revertebantur. Paullo post, novus tumor rotundus, durus sub priore in conspectum prodibat, quem varii tumores minores lividi ad tractum totius ossis sterni sequebantur, & usque ad abdomen ipsum extendebantur, in cuius pariter ac in colli integumentis innumera copia varicosarum venarum inveniebatur. Omnes hi tumores duri erant, glandulisque duris ac scirrhosis val-

de ſimiles ; ſimulac vero increſcebant, fluidum in iis contentum digito admoto diſtinguere poteramus. Dubii autem & nos & aeger de eventu, unico tumore eiuſmodi excepto, quem adhuc aperuimus, reliquos intactos reliquimus. Aperiebantur quidam ſua ſponte & partim per ſuppurationem ſeparabantur eorum integumenta, quo facto ſimul vidimus, inter quoſdam horum tumorum nexum eſſe, inter alios vero nullum. Symptomata peiora reddebantur, tuſſis, raucedo, anxietas cum febre lenta coniuncta accedebant, os ſterni emollitum prominebat, quaſi vi quadam attolleretur, & aegri vires proſtratae erant. Conquerebatur nocte de anxietate, praeternaturalique difficultate reſpirandi, & lecto ſurgebat, tuſſi vexabatur, & eiectis tribus vel quatuor unciis ſanguinis partim fluidi, partim grumoſi, eiuſdem indolis, qualis aperto tumore primo effluebat, catarrho ſuffocativo ſubito moriebatur. Sectione, quam omnes optavimus, denegata, vera cauſſa morbi nos latet, interim hoc certe contendi poſſe ſtatuo, quod aneuryſma non fuerit, id quod ſigna docebant & effectus. Utrum vero tumor varicoſus internus in vaſe quodam maiore, an ſcirrhus in cavitate pectoris poſitus, ramuli venae axillaris internae, quae ad cutem pectoris abit, compreſſionem effecerit, & his varicoſis tumoribus ortum prae-

buerit, an varicosi tumores in abdomine horum tumorum in pectore caussae fuerint, coniicere quidem, sed non certo pronunciare licet (a).

Similem tumorem describit Ill. RICHTER in Observ. Chirurg. Fascic. III. cap. IV. *De raro tumore mammae*, p. 60. sqq. de quo contendit, se similem nullibi descriptum reperisse. „ Foemina triginta circiter annorum, tumorem magnitudine iuglandis nucis, mobilem ac inaequalem in mamma dextra gerebat; quaesivit auxilium Ill. RICHTERI & ab eo petiit, ut illum exscinderet; ex illo tumore ad papillam multi minores pisi magnitudine tumores progrediebantur, versus inferiora, sursum autem ex illo funiculus ad axillam procedebat, tensus, durus, digiti crassitiem habens, sensim prope axillam evanescens, ut finis illius haud distingui posset. Quoties aegrota hunc tumorem digitis comprimebat & fricabat, prosiliit ex papilla liquoris subrubri aquosi satis insignis copia, quo facto evanuit series illa minorum tumorum, maior ille flaccidus collapsus magnitudinis suae aliquid amisisse deprehendebatur. Ad pristinam magnitudinem intumuit

(a) Communicavi iam hanc historiam morbi cum amico, qui libellum Cl. ELSE in linguam vernaculam transtulit, qui etiam illam tractationi Cl. ELSE p. 85. ubi de similibus tumoribus agitur, addidit.

iterum intra paucas horas. Dolore vexabatur urente, quoties tumor nimis intumescebat, qui expresso liquore collapsoque tumore evanescebat iterum". Caussa huius tumoris erat suppressus per medicamenta fluxus haemorrhoidalis, quo ante plures annos foemina laboraverat; non ita multo post illud tempus, indusii partem, quae mammas tegebat, sanguine tinctam invenit, nescia, unde sanguis huc pervenerit, usque dum foraminulum detegeret in cute prope papillam, ex quo prodibat diu, antequam tumor in magnitudinem ovi gallinacei excrevisset humor sanguinolentus. Praeterlapsis quibusdam mensibus subito tota mamma intumuit, ita ut ad axillam usque extenderetur. Post usum cicutae tumor mammae minor reddebatur, tumor vero descriptus nullo remedio adhibito cessit. Ill. RICHTER sub finem huius historiae morbi addit, se non credere, hunc tumorem fuisse scirrhosae indolis, sed ortum duxisse contendit sine dubio ex varicosa quorundam vasorum dilatatione, quare aegrotae operationem flagitanti abnuerit. Caussa vero varicum ibi ortorum forte in suppressis haemorrhoidibus ei ponenda videtur, quapropter medicamenta ad restituendum fluxum haemorrhoidalem ei suadere maluit, de quorum effectu vero plura nescit.

§. XII.

Morbi abdominis & pelvis ex ea caussa oriundi.

Primum locum inter hos morbos facile tenet hypochondriasis ex varice orta, morbus ille diuturnus & molestus, qui hodie inprimis tam communis est, tamque innumeris symptomatibus stipatus, tamque varia sub forma apparens, ut sane summam attentionem Medicorum mereatur. Hypochondriasis, praecipue illa sanguinea inter varias alias species ex hoc fonte mihi deducenda videtur. Si enim certum est, in plethora semper sanguinem spissum reddi, facile etiam fieri potest, ut viscera ab eo obstruantur, atque adeo necessario sanguinis circulatio in universum, ac inprimis regressus eius per venas impediatur, ac difficilior reddatur. Probant hoc omnia, signa hic occurrentia, capitis gravis dolor, dyspnoea, lassitudo, desuetae narium haemorrhagiae, suppressa catamenia, haemorrhoides parce fluentes, aliaque. Vomitus cruentus, quem omni tempore fieri contenderunt Medici ex sanguine lienis per vasa brevia in ventriculum effuso, atque per os eiecto, observatur in iis, ubi haemorrhoides non fluunt, multos per annos, ita ut nihil damni afferat. Valde vero dubito an omnis sanguis sic per os reiectus hanc viam eli-

gat: invenimus enim nec in cadaveribus vasa haec brevia vel rupta, vel erosa, & plerumque lienem sanum, id quod, ut ego puto, illo modo non locum habere posset, post tantam, ut interdum fit, ac repetitis vicibus eiectam copiam sanguinis. Si respicimus ad totum systema venae portarum, in eo casu tanta copia vasorum varicosorum ex illo orientium reperitur, ut necessario compressiones partium, in abdomine positarum, ab hac caussa proficisci debeant, & exinde dilatationes & obstructiones venarum ventriculi, ac intestinorum tenuium, unde reiectio sanguinis illius grumosi ac coagulati, cum tenui interdum mixti sequatur. Venae enim hiantes in tela cellulosa, & cavis viscerum ipsorum inde compressae ac relaxatae, vel periodice, vel subito copiam sanguinis facile fundere possunt. Observamus hoc inprimis in iis, qui haemorrhoidibus illis saccatis, quarum Ill. THEDEN mentionem fecit (a), laborant, quae nisi recte tractentur, varicosis venarum obstructionibus ortum praebent. De reliquo certum est, in

(a) Confer. *Neue Bemerkungen und Erfahrungen zur Bereicherung der Wundarzneykunst und Arzneygelahrheit von D. C. A. Theden. 1. Theil, Berlin*, 1782. *S.* 56. *u. f.* ubi refert, se in diversis aegrotis observasse saccos magnos, indolentes, ex ano magnitudine pugni manus propendentes,

omnibus aegris, qui haemorrhoidibus laborant, quaecunque species earum sit, totum systema venae portarum debile esse, ramosque fere omnes, sive ad viscera, sive ad alias partes abeant, varicosos reperiri. Ut plurimum enim debilitantur a spasmo & strictura, vel ab acri quocunque quod irritationem excitare potest, quibus caussis cessantibus, tollitur quidem etiam effectus, sed dispositio ad laxitatem augetur, aptioraque fiunt vasa ad varicosam obstructionem, vel in eodem vel in alio loco corporis subeundam. Exemplo sint haemorrhoides caecae, quae in iis inprimis oriuntur, in quibus antea haemorrhoides fluebant; non vero iis vel sponte vel consulto suppressis, vasa venosa ani ex laxitate in nodulos tam variae formae vel interne vel externe extenduntur. Nec alia conditio est haemorrhoidum mucosarum, quarum sedem in glandulis ac vasis lymphaticis quidem quaerendam esse puto; sed caussa earum in vasis varicosis solum latet: vasa varicosa scilicet glandulas, vasaque lymphatica ad anum posita premunt, & efficiunt, ut ille albidus, mucosus humor per illarum tunicas transudet.

& scalpello aperuisse. Docet illos homines multis incommodis, quae viscerum obstructionem indicabant, laborasse, quae postea cessarunt.

A ramorum venae portarum dilatatione destructio unius alteriusve visceris non immerito derivanda est, si decursum morborum quorundam attendimus, Fluxus hepaticus, lienaris s. spleneticus, uti & sic dictus morbus niger Hippocratis, qui a Cl. SAUVAGES sub genere *Hepatirrhoeae* & *Melaenae* in Nos. meth. Cl. IX. comprehenduntur, ad illos pertinent. In fluxu hepatico cruento, uti dicunt, sanguis tenuis, purus, grumis intermixtus, sine dolore vel febre fluit, quem saepe tumor hepatis antecedit; vel a distentis in hepate, vel ab erosis vasis oritur, id quod praecipue ratione primi momenti apparet ex eo, quod semper vasa varicosa in hepate, ac ramis venae portarum in sectionibus cadaverum detegimus. Idem valet de fluxu splenico atque ipso morbo sic dicto nigro Hippocratis, cuius quidem variae species existunt, de quo tamen hodie inter omnes constat, quod non bilis sic dicta atra, sed quod sanguis ex venis varicosis lienis ac vicinarum partium per alvum fluat; videtur labes in sanguine, in vasis ipsis adhuc contento, obstructionem faciente & resoluto, quaerenda esse, unde omnia haec incommoda oriuntur.

Liceat mihi pauca hic addere de varicibus, hinc inde ab Auctoribus, in regione abdominis observatis. Legitur singulare exemplum apud

M. A. SEVERINUM (*a*) & in MART. BOGDANI Obſervat. Medic. (*b*).

SEVERINUS in tota regione hypogaſtrica, ac in femoribus iunioris hominis rete quaſi turgentium venarum varicoſarum obſervavit, quae poſt caſum ex alto ortae erant, ſcribit nimirum, „ quaſſatum uno impetu ſanguinem ac verſus inferiora propulſum diſtendiſſe omnia vaſa venoſa eaque laxa reddidiſſe. Quid? quod & in partes inferiores factum corporis praegravatum atque concuſſum, varicoſas dictas dilatationes, onera baiulantibus, curſoribus, ligones exercentibus excitare compertum eſt ".

BOGDANUS hiſtoriam tradit mulieris quadragenariae, quae abdomen turgidum octo annos ſine incommodo habebat, cuius omnem culpam ipſa in ſuppreſſis menſtruis haerere coniiciebat. Cum uteri hydropem putarent omnes eſſe, peracentheſin commendabant: ante eam vero mulier moriebatur, & ſectio cadaveris inſtituebatur. Vix cute pertuſa, foetidae ſeroſo

(*a*) In l. c. libro de noviſſ. obſervat. abſceſſibus §. 13. p. 227. *de varicibus infimi ventris ac femorum mire implicatis*.

(*b*) Vid. MART. BOGDANI Med. Bernenſ. *Obſervationes anatomicae ad* THOM. BERTHOLINUM edit. c. M. LYSERI cultro anatomico, Frcft. 1579. 8. no. XI. p. 224. *de rara hydropis ſpecie*.

ſanguineae colluviei copia ad libras XX. medicas proſiliebat, quae inter abdominis muſculos ac peritoneum continebatur, atque ex venis epigaſtricis tempore menſtrui fluxus eiecta erat. Iſtarum venarum extremitates tubercula, nuci avellanae ſimilia, habebant, acſi papillae eſſent, eademque ſciſſa. Putarunt omnes, uterum labe affectum vel ſedem & cauſſam huius morbi in ea eſſe; attamen patuit, varices venoſos morbum peritonei effeciſſe (a).

Data mihi nuperrime eſt occaſio fere idem, & huic morbo plane ſimilem caſum obſervandi, atque aſſerto Ill. WALTERI aſſentiri, qui dicit, nos latere adhuc multas morborum peritonei ac vaſorum cauſſas & ſedem. Traderem hic quod obſervavi; ſed alii ſcribendi occaſioni, cum nimis longa deſcriptio huius rei foret, eam ſervabo.

§. XIII.

Morbi veſicae ac partium genitalium.

Pauca adhuc addere conſtitui de vaſis varicoſis veſicae, & partium in pelvi contenta-

(a) Legi meretur de hac re Ill. I. G. WALTERI Tract. de morb. peritonei & apoplexia. Berolini 1785. 4to c. tab. aen.

rum. Tubercula haemorrhoidalia, quae vulgo dicuntur haemorrhoides vesicae, constituunt tubercula nodosa, varicosa, quae obstaculum faciunt in applicando cathetere propter urinae retentionem. Communis est hodie hic morbus, multo communior, quam vulgo putamus; qui si male tractatur, saepissime lethalis fit. Similiter mictus cruentus interdum ab haemorrhoidibus fluentibus oritur, aeque ac fluxus catameniorum spurius ex vasis varicosis vaginae ac uteri ortus. Horum dictorum exempla plura proferre possim, cum saepe illum morbum tractare mihi permissum fuerit; sed nunc praetermittam, & hoc tantum monebo, nisi symptomata haemorrhoidum bene tractentur, atque caussae harum vel abigantur, vel symptomata saltem leniantur; nisi uno verbo methodus curatoria antiphlogistica eligatur, exitum morbi plerumque tristem esse.

Exitus urinae per urethram illaesis renibus ac vesica impeditur interdum per obstacula, quae in urethra, disquisitione instituta, deteguntur; insigniuntur plerumque nomine caruncularum, atque intelliguntur per eas vel glandulae induratae vel excrescentiae carneae internae partis urethrae. Quamquam equidem nonnunquam, inprimis in iis huius indolis fint, qui morbis urethrae venereis, vel aliis laboraverint,

rint,

rint, tamen experientia edocemur, & hic loci vaſa venoſa varicoſa impedire, quo minus urina exeat. Si enim ſemper prominentes carunculae aut glandulae ſcirrhoſae eſſent, non cederent, ut interdum fit ſua ſponte vel applicata venaeſectione, vel roborantibus, nec reverterentur periodice, nec denique poſt uſum catheteris, uti ipſe exempla talia ſcio, ſtatim urina cruenta, & poſtea vaſa varicoſa abrupta & exulcerata ſecederent. Quod ad vaſa uteri ſpectat, copia venarum, uti notum eſt, inſignis deprehenditur, quas non raro varicoſas in foeminis, quae inordinato fluxu menſtruorum laborant, detexi. Memini me ſectioni intra quoſdam annos duarum iuniorum foeminarum adfuiſſe, quae appropinquante fluxu menſtruorum, ſemper triſtitia imo melancholia affectae fuerant, denique accedente fluxu eorum aquae ſubmerſae erant, ubi, ſectione inſtituta, uteri vaſa valde turgentia inprimis in una harum foeminarum, uterumque exinde ipſum turgentem deprehendimus. Nonne forſan interdum varices, hic orti, ut cauſſae melancholiae, nonne forte ii ut cauſſae mali hyſterici, vel ſaltem ſpecierum eius, conſiderari debeant, cum preſſione ex iis orta nervi patiantur, neceſſe ſit? ita ut ex preſſione earum in vaſa lymphatica uteri facta, hydropem eius, ex preſſione in eius ac vaginae glan-

dulas facta, fluorem album benignum foeminarum, quae nulla certe labe affectae sunt, quemque propterea forte non immerito haemorrhoides mucosas uteri appellare possimus, oriri, compertum habemus. Sed relinquo haec, quae dicta sunt, aliorum disquisitioni, cum ulteriora observata anatomica ac in morbis attendenda rem forte in posterum magis dilucidatura sint.

Restat, ut nunc de sic dicta varico-seu cirsocele dicam, quae ob caussas varias, atque ob effectus attentionem meretur. Hic morbus, saepissime occurrens nostris temporibus, ex variis quidem aliis caussis, potissimum tamen ex obstructione viscerum infimi ventris, & ex venis varicosis ortum suum ducere videtur. Morbus quidem (*a*) ex sententia Ill. RICHTERI aliorumque, epididymidis est, atque illa innumera vasa tumentia pro effectu morbi habenda videntur esse venae varicosae. Certum est, si caussas varias spectemus, ex quibus oritur, primam inter caussas occasionales semper quaerendam esse in dilatatione ac tumore venae sper-

(*a*) Confer. Ill. RICHTER, in Observ. Chirurg. Fascic. II. cap. 11. *de herniis*, p. 22. sqq. in Nov. Comment. Reg. Soc. Scient. Goetting. Tom. II. it. a System of surgery by BENJ BELL, Vol. I. Edinburgh, 1783. 8. cap. de cirsocele.

maticae, quae varia ratione, uti ſtatim dicemus, relaxari afficique poteſt, qua obſtructa atque varicoſa facta, regreſſus ſanguinis venoſi ex teſticulo ac epididymide impeditur, unde omnes illae venae turgent, ac molem interdum tam ingentem in ſcroto contentam generant. Hanc cauſſam, quamquam antea aliter ſentiebat Ill. RICHTER, iam ut primariam aſſumit; obnoxii inde huic morbo inprimis ſunt hypochondriaci, quorum viſcera digeſtionis debilia, ac quorum nervi imbecilles ac nimis ſenſiles ſunt, indeque forte etiam dolor & in parte affecta & in teſticulo alterius lateris deducendus eſt, quem Ill. RICHTER tam violentum deſcribit, quem tamen nunquam, niſi a cauſſa hypochondriaca orta eſſet cirſocele, nec aliis Medicis mihi amiciſſimis, nec mihi obſervare licuit. Sic quoque in laſcivis, ac in iis, qui vitio illo tam deteſtando, quam nocivo onaniae ſe commaculant, quique inde inſigniter debilitantur, ſaepe occurrit ille morbus, in quibus omnibus varices venoſi, ob regreſſum ſanguinis difficilem redditum ſemper interne ac externe occurrunt. Bracheria vel male conſtructa, vel in incipiente cirſocele applicata, ubi tamen nullum plane uſum praeſtant, quae ſaepe cum aliis herniae ſpeciebus, inprimis cum epiplocele confunditur, morbum augent, imo per preſſionem ad vaſa

ſpermatica factam illum generare & ſphacelum, quem mors ſequitur, efficere poſſunt. Nec minus a teſticulo venereo male curato, nec non a teſticulo per preſſionem ſcirrhoſo facto, oriri eam vidi, cuius unicum exemplum inſigne, propterea memoratu dignum mihi videtur, quoniam ſuppuratione deſtruebantur vaſa varicoſa, relicto ſcirrhoſo teſticulo, id quod rariſſime accidit. Occurrit denique ſpecies teſticuli tumeſcentis orta poſt eryſipelaceam inflammationem capitis, cuius CULLEN mentionem facit, quamque interdum in aegris occurrere vidi, ubi vaſa venoſa dilatata ſunt ac tument, ſi in eo ſymptomatico morbo, uti a Medicis aut Chirurgis imperitis fit, vel medicamenta incongrua, inprimis mercurialia, adhibentur, quoniam plerumque pro teſticulo venereo habetur, vel bracheria, loco ſuſpenſoriorum commendantur, varicocele inde gigni facillime poteſt.

Cogitanti mihi denique de cauſſa tam celeris incrementi fiſtularum ani, ab haemorrhoidibus ortarum, putavi ſaepe, annon tunc fiſtula in ipſum vas venoſum haemorrhoidale proſerpens canalem relaxare, deſtruere, & ſuppreſſionem augere poſſit, ita ut pars inferior tota vaſis varicoſi & fiſtula ipſa conſideranda ſit.

§. XIV.

Possem adhuc disserere de variis tumoribus varicosis externis, inprimis hystericarum ac gravidarum foeminarum, de erysipelate orto ex varice in hypochondriacis, vel haemorrhoidibus caecis laborantibus, in foeminis, quae suppressione menstruorum laborant, de varice aneurysmatico HUNTERI de echymosi post venaesectionem de varicomphalo quorundam, deque varicum ruptura in erysipelate orta; sed cum partim limites scriptiunculae huius non permittant, partim passim ab auctoribus notatu dignissima in lucem edita sint, subsistam in his; quae proposui &, paucis de ratione medendi additis, finem imponam tractationi.

Remedia, quae in externo varice sub initio cum fructu adhibentur, sunt reprimentia ac roborantia, inter quae eminet aqua frigida, spirituosa, acida, & fascia, quam Cl. THEDEN (*a*) commendavit, cuiusque iustam applicationem optime descripsit; in progressu morbi vero sal ammoniacum solutum, vel aliud huius generis medicamentum, resolutioni sanguinis in va-

---

(*a*) Conf. *Neue Bemerkungen S.* 1.

rice contenti, coagulati atque indurati, accommodatum, vel denique, nisi malum nimis inveteratum sit, ubi nulla medela locum habet, ad aperiendum tumorem, eumque comprimendum nos accingere debemus. Quod vero ad curam internorum varicum spectat, ea multo difficilior videtur, quam externorum: ea autem, ad quae praecipue attendendum mihi esse videtur, huc redeunt: detegendae sunt caussae, quibus regressus sanguinis retardatur, vel impeditur, hae positae sunt vel in fluidis nimis spissis, vel in solidis nimis laxis; inde in priori casu viscerum obstructiones solventia, in altero roborantia atque adstringentia prae reliquis praestant.

IOANNIS PETRI FRANK

Medicinae Practicae & Clinices in R. Ticinensi Archigymnasio Professoris P. & Ord. &c.

DISCURSUS ACADEMICUS,

Quem ad Tyrones, cum Instituti Clinici curam susciperet, die 30. *Maii* 1785. *praefatus est.*

AD lectulos aegrotantium, iussu CAESARIS AUGUSTISSIMI, vos conducturus, ibidemque morbos, quorum vobis depictae in Scholis fuerunt imagines, prout existunt, praemonstraturus, sentio, *Commilitones Optimi*, provinciae mihi demandatae eximiam dignitatem, atque fateor ingenue, me non sine aliqua specie sancti illius horroris, quem mortales a Maiestate Templorum praesentisque Numinis percipiunt, hanc artis salutaris partem, atque Pontificis ad aras *Apollinis* munus in me suscipere. Arduum est Medicae Scientiae Elementa docere, virumque exposcit, qui in Sacris naturae Mysteriis versatissimus sit, & eiusdem leges ex ipsis Imperatricis huius manibus, longo & impatienti labore impetraverit; sed qui artis ipsius *Exercitium* traditurus est, hic certe difficillimam eius partem humeris assumit, atque nisi hos ipsos experientia longa & ratione firmatos habeat; non potest non ab ingenti superincumbentis tantae molis pondere, Atlantis pati curas & anxieta-

tem. Non enim hoc ab opere aegrotantium solummodo, quos tractandos suscepturus sum, salus, sed & vestra quondam, atque omnium, qui vestris se manibus commissuri sunt, mortalium, in feros usque annos, dependebit felicitas. Non tam facile vobis erit, primas rerum ideas, animo iuvenili nunc quidem imprimendas, tandem pro nutu iterum excutere, si erroneas inculcaverim; neque, si in arripiendis mihi ad vos ipsos erudiendos occasionibus negligentius processerim, - si morborum in examine, in diversissimarum caussarum indagine, in ferendo de omnibus iudicio, atque in recta demum medendi methodo, negligentius procedendi exemplum vobis praebuerim, haec innocua vobis, aut aliis non fatalia esse poterunt; neque floridae vobis aetatis revocare annos datum erit: si tempus inutiliter terendi, ac sic vos messe alios futura defraudandi, infelix auctor exstiterim.

Terrerent haec pericula, deiicerentque animum, nisi & proprii ferveris pro bono communi, - nisi amoris, quo singulos amplector, qui salutiferae sese totos arti dicarunt, - nisi demum multorum satis annorum mihi conscius essem, quos tam in Praxi Medica, diversis in Provinciis non infeliciter exercenda, quam ex parte in excolendis iuvenibus Medicis atque Chirurgis transegi, ut & in eodem hoc opere, quod ho-

die in celeberrima *Italiae* Academia lubens in me ſuſcipio, per breve licet temporis ſpatium, in florentiſſima *Germaniae* Univerſitate *Georgia Auguſta*, cum fructu non ſpernendo, verſatus fuerim.

Aſt, dum in hanc ego arenam deſcendo, a vobis, *Commilitones Optimi*, vellem laboris veſtri dignitatem non tantum quam optime perſpici; ſed & ſentiri viriliter. Fiduciam veſtram ſincero animo mihi exopto, & a vobis, *Auditores Nobiliſſimi*, exſpecto. Non is tamen ego ſum, qui in mea vos iurare verba, vel ſine proprio ratiocinio in aegrotantium cura progredi, voſque, machinarum adinſtar, certis regi vellem praeſcriptionum formulis, meiſque tantum opinionibus, non perſpecta a vobiſmet ipſis morborum natura, moveri. Propriis, precor, oculis, quid natura agat, quid agere recuſet, videatis; & ſi quid mei hic eſſe credam officii, id ſolum erit, ut oculos veſtros in ea praeprimis obiecta convertam, quae Practici veri attentionem praecipuam ſibi expoſcunt, utque umbras, quae morborum, vobis necdum penitus cognitorum, faciem obvolvunt, diſſipem; ut varias medendi methodos, in *Praelectionibus Academicis* vobis patefactas, aegrotantibus adhibendi occaſionem exponam, atque ut propriam in oppugnandis morbis experientiam, faciendorum

Ducem optimam, ut facem vobis praeferam; quae vacillantes, per tenebras, gressus vestros dirigere, atque in proprias demum vires aliquam inspirare possit fiduciam. Symptomatum morborum veras significationes ita vobis commonstrabo, ne consuetis forte signis nimium, quam par est atque rerum me docuit eventus, tribuendum esse censeatis. Est enim in rebus praecipue medicis *Philosophiae* magna certe necessitas: ne scilicet ex incertis phaenomenis,' morborumque effectibus protheiformibus, mox tuto nimis ad morbi ipsius naturam concludamus, & sic hypothesin magis, quam aegrotos percuremus.

Unum, quod a vobis expeto, quodve felicitatis propriae vobis erit primum, atque solidissimum fundamentum, id est; ne sanioris Theoriae, quo fulcro magna certe pars artis sustinetur, unquam obliviscamini; sed omni vitae tempore eidem augendae, & *Experientia* ulterius expoliendae, incumbatis; dein, ut nihil vobis in aegrotantibus tam parvum videatur, quod non solicita manu adnotetis; atque demum, ne vestrum ullus, siquod Ei dubium in re tam seria superesse possit, id mihi unquam nascondere, celareque velit. Occasio vero tam ad aegrotantium lectulos, quam in propriis aedibus, consilium meum expetendi, vobis, *Commilitones Optimi*, ita quidem conceditur, ut nullum mi-

hi carius exiſtere opus poſſit, quam quod in promovendo artis veſtrae exercitio impendero, neque vitae meae ſit horula, quam vobis non lubens ſacrificem:

Antequam vero opus noſtrum, quod tam magni momenti eſt, inchoemus; methodum breviter exponam oportet, quam in exercendis, adplicandiſque Medicae Artis regulis a nobis obſervandam eſſe cenſeam.

Ac primo quidem, omnes, qui Clinicas exercitationes frequentare contendunt, nomina ſua dabunt, & fidem, ſe in Theoreticis Artis Medicae principiis, ſtato tempore, ne illotis forte manibus ad *Apollinis* ſacra veniant, eſſe verſatos. Non impedit hoc, quin valdopere peroptem, *Pathologiae* etiam ſtudioſos, practicis necdum aptos laboribus, naturae laeſae imagines ad ipſos lectulos ſtudere, atque ſic morborum ſymptomatum, cauſſarumque ſcientiam non artificialem ad ipſum naturae exemplar addiſcere, quin tamen ipſi adhucdum operi manum admoveant, vel artem, cuius necdum principia hauſerint, immaturo conſilio exercere contendant. Contrarium enim & rationi, & experientiae ſemper eſſe credidi, morborum ſymptomata verbali tantummodo depicta penicillo, memoriae committere, ubi naturam ipſam delineandi, aegrotoſque quotidie oculis ſubmittendi, maior

esse potest copia & occasio. Sterile est, ingratumque iuvenibus *Pathologiae* studium, nisi vivis oculi feriantur exemplis, & multa sunt, quae, mihi saltem, hanc artis medicae doctrinam profitenti, verbis describere prorsus impossibilia videbantur.

Qui vero melioris notae atque diligentiae studiosi Medici, proprias vires ad aegrotantium lectos experiri voluerint, illis morbus a nobis pertractandus ita quidem committetur, ut publico examine in totius primum morbi historiam quam adcuratissime inquirant, suamque super morbi natura, caussis, indicantibus, indicatisque remediis, quotidie exponant sententiam. Locus hic erit, in medicamentorum, tam simplicium, quam aliorum, praescriptione, sese exercendi, singulorum vires, laudatasque vel indagandas demum ulterius virtutes experiendi: mihique peroptata sic dabitur occasio, totum opus, prout aegrotantium salus, artisque regulae postulabunt, ita dirigendi, ut & decoris, & necessariae aemulationis insimul habeatur ratio.

Notabunt interim adstantes singuli praecipua morbi symptomata, atque brevem, succinctamque, cum adhibitae medelae necessaria expositione, consignare studebunt eiusdem historiam.

Cuicunque vero aegrotus committitur, is in totam morbi historiam adcuratius inquiret,

aegrotantem aliquoties in die visitabit, singula symptomata summa cum praecisione conscribet, factasque super his observationes tum sequenti die communicabit, tum, post morbum absolutum, succinctam mali ipsius, atque adhibitae medendi rationis historiam latino sermone conscriptam ad manus Praesidis deponet; nomen autem & patriam suam sub finem historiae signabit, ut quae in fastis *Instituti Clinici* perpetuo conserventur, factorumque & observatorum testimonium fidele constituant.

Cum vero magna sit tempestatum, tam in promovendis, quam in augendis, diminuendisque morbis auctoritas: non minus atmospherae, ventorumque, & frigoris & caloris rationem haberi oportet: quo SYDENHAMI vota & nostra ex parte adimpleantur, &, quod tempora inter & morbos datur commercium, si non a nobis, saltem a posteris, enucleetur.

Obesse videtur completae morborum quorumvis considerationi atque tractationi, quod in recipiendis ad Nosocomium generale aegrotis, praecipua febrilium, acutorumque morborum haberi soleat ratio; ast, praeterquod & hi non raro in chronicos degenerare adfectus soleant, sicque curandorum longioris naturae morborum habeatur copia; licebit quoque rariores adfectus chronicos ex pauperum in urbe coetu expiscari,

atque si idonea subiecta detegantur, ea mihi, ut in Clinicam suscipiantur, proponere. Vel dabitur forte exoptata quondam occasio, vel ipsa in urbe miseros, diuturnis eiusmodi malis conflictatos adeundi, & infantum etiam morbos, puerperarumque tormenta in domibus, huic utilissimo operi & artis Obstetriciae studio practico dedicandis, observandi: quo singularum demum classium cruciatus, inter se multum diversos, vobis indefesso labore reddatis cognitos, & in methodo medendi eisdem propria versati, ex Academia nostra tandem in certa mortalium solatia secedatis. Unum est, quod, enixe vos precor, omni consilio observandum vobis assumatis: ut nempe mox primis exercitii medici annis consuetudinem ineatis aegrotantes non modo cum amore & caritate fraterna pertractandi, sed & singula, quae morborum caussas concernunt, quorumque apud exteros patefactio laborantium famae obesse possent, aeterno silentio custodiendi. Garrulitas Medicorum in Artis opprobrium & in Societatis damnum convertitur, dissidiis ansam porrigit, & levioris animi auctori maculam inurit. Hinc iam HIPPOCRATIS quondam discipulos iurasse referunt: „ quae inter curandum, aut etiam citra curationem, in hominum vita vel audivissent, vel etiam vidissent, quae foras nequaquam efferri oporteret, ea arcana

esse ratos, silentio fore praetermissuros (*)". Dura est aegrotantibus, multarum rerum, quae sanitatis amissae rationes concernunt, confessio, & non nisi perfectae in Medico honestatis & taciturnitatis certitudo, quemdam, ut, quae turpia videri possent, interroganti offerat, movere potest. Ingrati igitur & inhonesti animi argumentum prodit Medicus, qui dum ad vitam aegrotantis servandam accedit, honorem, vita cuivis potiorem habendum, ipsemet adgreditur & aliorum sic miseriis impudicus insultat. Alterius etiam iuramenti *Hippocratici* memoriam conservate: „ Caste, hoc inquit, sancteque vitam meam, meamque artem tuebor. – In quascunque autem aedes introivero, eas ad aegrotantium opem ingrediar: ab omni scelere voluntario, & corruptela, tum alia, tum operum venereorum in corporibus mulierum, ac virorum, liberorum, ac servorum, procul remotus ". Quis enim, precor, uxorem vobis, quis filiam committere curandam potuerit, nisi de morum vestrorum integritate, & de probata omnibus honestate certum se persenserit? Virilia igitur virili pertractetis animo, & modestiam cum sexu inprimis sequiori, talem ostendite, quae & aegrotantis in vos fiduciam augere, & artis, quam

(*) De iureiurando Lib.

professuri estis, dignitatem ostendere cuivis queat. Quemadmodum autem fieri non potest, quin tot inter aegrotos, casus nobis obveniant, qui & *Exterorum* attentione non sint indigni, & quos vestrae impressos manere memoriae iuvabit: praecipue dum ex trecentis fere aegrotantibus, nobis pro nutu tales ex maiori Nosocomio seligere datum sit, quorum consideratio & cura promovendis, extendendisque artis salutaris limitibus possit inservire: hinc lubens hoc ego opus in me suscipiam, ut, pro data observationum memorabilium copia, certis temporibus, ea cum Publico communicem, quae vestris sub oculis peracta sunt, & aliorum etiam attentione non videbuntur indigna. Quoscunque ergo a morbis liberare nobis non fuerit concessum, quosque per eosdem vita privatos esse dolebimus, nos omnes diligentiori examini anatomico, quo caussae sedesque morborum patefiant melius, indefesso labore submittemus. Nec publice commissos fateri errores me unquam pudebit, ut hos ipsos in vestra convertere commoda liceat. Hinc morbi perpessi historiam, antequam cadaver aperiatur, legere, & quam vel diagnosin, vel prognosin quondam instituerim, patefacere iuvabit: post quem denique laborem, sectionem propriis ego manibus suscipiam, ut quae in cadavere detegantur praeter naturam, vestris prius subiecta

oculis, ab adſtante, qui curam morbi geſſerat, Medico, ſingula fideli mox calamo adnotentur. Ubi altioris indaginis morbi pertractandi venient, iuvabit & inter tres, vel quatuor ex vobis, quoddam, circa potiorem medendi methodum, iniri conſilium, atque rationes pro hac vel illa, mutuo invicem conferre, ut hoc demum modo ſic dictis *Conſultationibus Medicis* aſſuefiatis, quarum conſuetudo ac neceſſitas non levem quandoque iuveni Medico difficultatem parit, & ineptis, ſaepeque noxiis coram lectulis aegrotantium diſceptationibus ac diſcordiis anſam porrigit, quarum origo non raro in defectu *medicae educationis*, vel in eorum, quae viri Medici tum ſibi, tum aegrotantibus debeant, ignorantia, quaerenda eſt. Ne vero tam utilem laborem obſtacula praepediant, quae apud vos ipſos habuerint originem; evitate, precor, omnem, quae ex opinionum apud Medicos diverſitate, & ex vano ſaepe dictatorii muneris pruritu generatur, diſcordiae umbram. Obſcura ſaepe ſunt, quae in aegrotantibus obſervantur morbi ſymptomata, & difficile de illis iudicium; ſuus cuivis oculo videndi modus eſt, nec datur in *rebus phyſicis* bene multis, tanta certitudo, quanta quidem, ut omnes idem de latente morborum cauſſa iudicium ferrent, requireretur. Arrogantiae hic, nec raro ignorantiae ſibi no-

tam imprimit, qui, nisi maxima rerum suffultus incedat experientia, contrariis opinionibus omnem mox probabilitatem abnuit, aut iudicii alieni errores, his in materiis tam facile committendos, non lubenter excuset. Vos quidem omnes ad discendos aegrotantis naturae motus lectum acceditis, & sermonem symptomatum difficilem, effectusque remediorum studere contenditis: finite hoc a quovis sodali pro viribus suis instituí experimentum, & si vacillantem, gressuque minus adhucdum firmo incedentem videatis: a laboris meta praepostero iudicio non absterrite! Sua cuivis fuit in rebus pene omnibus infantia; felices illi, qui difficultates hic obvias citiori pede superare didicerunt. Praecipue vero in conscribendis morborum historiis & in exponendis eorundem symptomatis dexteritatem quaerite: dedecori nempe ducendum esse Medico semper credidi, qui factorum historiam vel rectius enarrare, vel litteris consignare nequeat; & magnae videtur mihi suspicioni locus dari, non recte illum cogitare, qui proprias ideas certo ordine vel explicare, vel scriptis communicare non potest.

Quod ad aegrotantium in *Clinices Instituto* quotidie observandorum numerum spectat, is quidem *viginti* utplurimum lectis continebitur. Maiorem optarunt alii; fatebor tamen, huno

ipſum adeo aliquanto maiorem, ac par ſit, poſſe videri. Oportet enim non reticeri, non eſſe *numerum* aegrotantium, ſed rectam in iiſdem examinandis, obſervandiſque rationem eſſe, quae iuvenem virum ad veram morborum cognitionem conducat; neque humeris, labore necdum firmatis, maiora mox pondera videntur eſſe imponenda. In morborum examine patientia & caritate armati incedite. Sinatis quemvis, rudiorem licet, aegrotantem, proprii decurſum morbi modulo ſuo vobis exponere. Eſt ſaepe magna ipſius vulgi in exprimendis paſſionum imaginibus energia, licet narrationis deſideratus ordo deficiat. Poſt brevem ipſius aegrotantis de morbo proprio expoſitionem, evitantur ſaepe inutiles, & debiliori aegroto non parum oneroſae Medicorum quaeſtiones. Quemadmodum enim nimia examinis medici brevitas nocet; ita & quaeſtionum inutilium farrago patientiam laborantis aegroti fatigat, ipſius tandem Medici memoriam nimis onerat, atque rectum de morbo iudicium conturbat. Non enim is mihi expertus demum *Iudex* erit, qui criminis accuſatos, innumeris quaeſtionibus obruat; ſed qui talia proponat, quibus facti veritas ſine ambagine mox eluceſcat. Nimium certe laudis longiori tribuunt aegrotorum examini, ſi hoc ipſum in quaeſtionum copia inutili velint conſiſtere. Ars magna hoc eſt in opere,

& ab eodem morbi cognitio prorſus dependet; ſed difficultas non ſuperatur inquirentis verboſitate nimia; paucaeque ſaepius, ſed ad rem pertinentes quaeſtiones expertum in his virum ad maiora perducunt, quam a centenis reſponſis, aegrotantibus ſine fine extorſis, obtinetur. Interim raro in hiſce peccatur; neque Medicis, experientia adhuc deſtitutis datum eſt, ſine multo conatu, & quaeſtionibus variis, morborum latentem naturam eruere. Attenta vero ſymptomatum, cuique morborum generi propriorum, conſideratio, quotidiana, in perſcrutanda aegritudinum indole, exercitatio, atque non neglectum *conſtitutionis annuae* ſtudium, ad ipſam morborum naturam rectius agnoſcendam vias praeparant: & hoc tandem nos duce utemur, *Commilitones Optimi*, qui nunc ad aegrotantium lectulos deſcendimus, atque virium noſtrarum periculum ſumus facturi. Sortem hic miſerandam mortalium conſpicite, lacrymas hanc ipſam ferentibus abſtergite, & videte, quantum ineſſe crudelitatis oporteat, tantis doloribus, ignorantia ſua & audaci conamine aliquid addere! . . . Quantam vero dulcedinem generet felix ſcientiae noſtrae auſus, quo *Creatoris* quaſi munere fungimur, & victimas morti ſolerter arripimus, ut patrem familiis, parentibus amatam prolem reſtituamus vix non deperditam. „ Omnia, inquit

HIPPOCRATES, quae ad ſapientiam requiruntur, inſunt in Medicina: argenti contemptus, verecundia, erubeſcentia, modeſtia in veſtitu, auctoritas, iudicium, affabilis occurſus, munditieſ, cognitio utilium, averſio a nundinatione & a ſuperſtitione, dignitas divina (*)". Haec enim ars fere ſola id praecipuae atque eximiae laudis ſibi vindicat, quod, dicente LORRY, nec temporum, nec locorum circumſcribatur anguſtiis, nec civitatum contineatur pomoeriis, nec bellorum tumultu, aut odiis coerceatur hominum diſcordibus, ſed proſit omnibus, aequaliter diſpertitis in ſingulos beneficiis, aeque pauperibus, atque ditiſſimis; aeque ſenibus, atque imbecillae puerorum aetati invigilans, propinquis, amicis, exteris, hoſtibus, cuilibet hominum ſocietati proficua. Sed praeterea, quod firmius, honorificentius, dulcius eſt, ampliſſimam omnium mercedem in ſe continet, atque complectitur, *benefacti conſcientiam*. Hanc igitur Artem, *Commilitones*, non ingrati amate, viribus nunc intentis pie colite, atque Viro, qui veſtris hic nunquam defuturus erit laboribus, favete!

Finis Octavi Voluminis.

(*) Lib. de decenti habitu.